




A



BL

S. HILARII
PICTAVORUM EPISCOPI
DE PIORUM STATU
IN SINU ABRAHÆ
ANTE CHRISTI MORTEM
SENTENTIA

Nunc primum illustrata

A B

ANGELO MARIA FELTRI

A S. ANTONIO

CLERIC. REGVL. SCHOLARVM PIARVM.



NEAPOLI MDCCLXII.
Excudebat Joseph Raymundi

SUPERIORUM FACULTATE.

Ego proinde fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso; quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio; nec mirandum est, nec dolendum; sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius, & utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat: Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat. S. Augustinus Epist. 143. aliàs 7. ad Marcellinum num. 2.



1 *Ost Scripturas Sanctas Doctorum hominum Tractatus lege*, sapientissime ajebat Hjeronymus Epist. 10. Hisce ego peropportune monitus, ex tot Sanctissimis Ecclesiæ Patribus unum maxime delegi, & in deliciis habui, Hilarium scilicet Pictavorum in Gallia Episcopum, quem ab ipso Hieronymo summis noveram exceptum laudibus, eumque sedulo, quoad possem, studio versandum mihi proposui. Quod autem primo loco eruendum ex Hilario putavi, dogma fuit Catholicæ Reipublicæ firmissimum de Beatitudine, seu visione, ut dicunt, beatifica statim a morte reddita justorum animis, quos nulla fædat culpa, quibusque luendum nihil superest. At difficilimum mihi ad expediendum negotium animadverti susceptum, tantumque abfuit, ut iis in subsidium accitis, qui de Hilarii sententia suis interpretationibus, Commentariisque optime meriti circumferuntur, difficultates evanescerent, quinimmo anceps magis factus de Hilarii locutionum germano sensu, novis, iisque gravioribus retardatus fui, ne proficerem, impedimentis.

2 Obversabatur enim primo loco ante oculos egregium sane, aureumque opus Cl. Ludovici Antonii Muratorii, cui titulus: *De Paradiso Regnique cælestis gloria non expectata corporum resurrectione justis a Deo conlata*: deprehendebamque, Virum illum doctissimum non alienum fuisse prorsus a suspicione, quod Pictavorum Antistes aliquandiu opinionem approbaverit de Millenario Regno, mitiori licet in sensu, quam vel Cerinthus deliraverit, vel Papias fuerit inscite nugatus. En Muratorii verba ibid. cap. 11. Edit. Venet. an. 1755. pag. 143. *Cui* (Thomæ scilicet Burneto) *responsum primo velim, Sæculo Christi IV. nondum excidisse pennas opinioni de Millenario Regno, eamque in paucorum adhuc*

 cere-

cerebro locum pacificum invenisse, inter quos S. Hilarium forsitan recensere licet. Aliquam ille hac de re suspicionem ingerit Tract. in psal. 62. num. 7., atque in psal. 148. num. 8 .... Condonandus hic error, dum aliquandiu fuerit in S. Hilario, qui a deliramentis Cerinthi, aut ab ineptiis Papiæ, alienum saltem se prodit, eamque opinionem non uno titulo emollivit. Verum qui illius hac in re auctoritate uti velit, inani prorsus suffragio utatur, sive ut melius dicam, abutatur. Numquid gemmæ sunt, quæcumque in libris priorum Patrum occurrunt? &c. Et paulo infra pag. 144. *Secundo animadvertendum est adversus Burneti Systema, non una ratione Hilarium ipsum decertare. Scilicet ille, sive quia ad Millenarios nunquam accesserit, sive quia ab ipsis recesserit, se plerisque aliis in locis prodit Catholicorum sapientiorum sententiæ addictissimum.*

3 Aliunde vero Prælectiones Theologicas Honorati Tournely in subsidium adhibens, ut Hilarii doctrinæ interpretationem assequerer, illud satis mirari non potui, quod a Gallo Scriptore usurpatum est, qui *De Deo, & divinis attributis q. 12. art. 1. pag. m. 293.* testimonium quoddam Hilarii ex Tract: in psal. 2. n. 48. adversus hæreticos ita emollire, ac explanare conatur, ut velit, Sanctissimum illum Episcopum existimasse, Lazarum statim ab obitu, ac proinde antequam Dei Filius se ipsum pro nobis devoveret Patri, *gloriam* reportasse, divitem vero Epulonem debitam pœnam. Post quæ ita triumphat: *Unde testimonium illud S. Hilarii favet plurimum causæ Catholicæ, nedum ipsi noceat.* Jure quidem merito. Si enim de Hilarii sententia Lazari animus, antequam Christus Inferos adierit, Dei pulchritudine atque præsentia, qua nimirum vera & solida continetur beatitudo, potitus fuit, multo magis justis, optimisque viris in Novo Testamento contingere id debet.

4 Permolestum mihi maxime acciderat, quod a Muratorio traditum recitavi. Noveram enim Christianæ Reipublicæ theologos vix uti amplius posse Hilarii auctoritate ad dogma istud Catholicum firmandum. Nam, cum ajente loc. cit. Muratorio, *aliquam ille* (Hilarius) *hac de re suspicionem ingerat tract. in psal. 62 num. 7., atque in psal. 148. num. 8.* consequens inde est, ut error ille in Hilario fortasse obtinuerit locum eo tempore, quo suos scripsit in psalmos Commentarios, maxime vero cum psalmum

148.

148. explanavit. Sed hujusmodi Commentarios absolvit Sanctus Episcopus, id efficiente Maurino editore Petro Coustantio, extremis quibus vixit annis, neque post illos aliud ab eodem exaratum accepimus opus: fieret ergo, ut Hilarius in hunc errorem extremis suæ vitæ annis concessisset, nec proinde demonstrari aliunde posset, ab eo errore recessisse. Et sane quamvis diligentissimus fuit Muratorius in iis Hilarii sententiis congerendis, quæ Burneti insaniam aptissime refellunt, ne unum tamen habet Hilarii testimonium ex reliquis in psalmos enarrationibus, post tractatum scilicet in psal. 148, petitum, quo id efficiat. Qui ergo probari posset ab eo defecisse Hilarium errore, cujus suspicionem ingerit tract. in psal. 148? Dandum tamen aliquid est Viro illi Doctissimo, qui ut accuratissimus fuit in iis colligendis, quæ ad caussæ Catholicæ patrocinium contra Anglum theologum conferre aliquo modo poterant, ita nihil sibi omittendum esse putavit eorum, quæ solvendis adversariorum argumentis apta utcumque ei videbantur: in quo tamen dum liberalem se nimis præbuit adversariis, rebus suis minus accurate consuluit. Cæterum quam vere, ac solide ab omni etiam suspicione erroris Hilarium vindicaverit Muratorius, ex aurei operis lectione adeo fit manifestum, ut eum deliberatum apud me esset, Hilarii exornare vindicias, ne actum agere viderer, istud consilii dimittendum mihi esse intellexi.

5 Quod autem ex Honorato Tournely acceperam, arridebat maxime, sentiebamque, cum Doctore Sorbonico, opinionem illam favere plurimum causæ Catholicæ de jucundissimo Dei adspectu statim post mortem justis concedendo. Dolebam tamen gratis a Clarissimo Theologo illud assumi, quod nonnisi gravissimis fulcitum momentis erat proponendum, cum præsertim communi Scholasticorum judicio contrarium id esse, doctissimus vir ignorare non posset. Hinc orta apud me est suspicio, verba illa ex ejus ore fortasse excidisse, aut ei non satis diligentem, sedulamque operam collocanti in Hilarii sententia investiganda potuisse facili negotio imponi ab extimo vocabulorum sono, locutionumque significatione superficie tenus spectata, unde ita explicandum Hilarium putaverit.

6 Verum suspicioni huic locum minus esse persuadebar, ubi præstantissimum doctissimumque Joannis Cadonici Cremonensis Ca-

 nonici

nonici opus: *Vindiciæ Augustinianæ ab imputatione regni millenarii*: accurate, summaque cum voluptate pervolvens, animadverti, virum tantum, ac tam emunctæ naris in eamdem concessisse sententiam, plurimumque uti Tournely interpretatione, imo & illud tam aperte addere cap. 16. pag. 266: *Sed interim notabunt lectores, alium item Ecclesiæ Doctorem cum Augustino hoc expresse docere*. Tanti viri auctoritas apud me magnopere valuit, effecitque, ut de Tournely responsione Cadonici calculo probata honorificentius sentire inciperem. Quoniam vero & apud Cadonici, cujus instituti ratio in Hilarii dictis versandis illustrandisque eum immorari non patiebatur, momenta desiderabam, quibus perspecta fieret Pictaviensis Episcopi sententia, hinc vehementer sum commotus, ut hujusmodi investigationi magis magisque insistens, ea invenirem, quibus Hilarii mens apertissime innotesceret, & ab omni vindicaretur dubitatione.

7 Quos autem ex ejus operum meditatione perceperim fructus, hæc indicabit dissertatio, quæ eo tota spectabit, ut efficiat, tum quæ amplissime prædicat Hilarius de statu Lazari post discessum a vita, qui certe mortem Christi præcessit, tum quæ Regio Vati statim a morte præstantissima pollicetur, ejusmodi esse, ut ne minimo quidem intervallo ab iis distent, quæ idem Galliæ Præsul scribit de sempiterna felicitate, gaudiisque cœlestibus, quæ justis Novi Testamenti, ubi primum e corpore evadunt, copiose reddi pronunciat. Ex hoc scilicet sic instituo argumentum. Eadem habet Hilarius de piorum animis, antequam mortem Christus obiret, & de iisdem, post Christi mortem. Vel ergo utrosque a Dei præsentia amovit; vel utrosque ea donatos existimavit. Primum esse nequit, & ob apertissima ejus testimonia, quæ diserte testantur, animas Sanctorum N. T. beatitudinem confestim adire, & ob unanime Scholasticorum suffragium, qui a Millenariorum errore, immo & erroris suspicione Hilarium constantissime defendunt, & ob non exiguum, quod causæ Catholicæ inferretur, detrimentum; quippe quia aditus inde pateret ad submovendam eadem ratione cæterorum Patrum auctoritatem: ergo alterum dicatur oportet.

8 Non inutilem laborem hunc putavi, sed & necessarium, & magnum; intelligebam siquidem Christianæ Reipublicæ consultum magis iri, si propendisse demonstretur Hilarius in eam sen-

ten-

tentiam, quæ cum nullo Ecclesiæ judicio definita sit, ad fidem non pertinet (1), & in qua fuit etiam Augustinus, id ad evidenden-

(1) *Certa fide tenendum esse, ante Christi mortem nullam animam quantumvis Sanctam, & puram essentialem beatitudinem accepisse*, tradidit auctor cumprimis probabilis Suarezius in 3. part. q. 52. art. 8. disp. 42., qui tamen, scitissime admonente Liberato Fassonio Clarissimo de nostra familia Theologo, editisque operibus de Christiana Republica optime merito: *De piorum in sinu Abrahæ Beatitudine* cap. 1. §. 17., cum maxime id vellet agere, non demonstravit. Hoc ipsum aperte pronunciavit Hiacyntus Amat de Graveson: *De vita, Mysteriis, & annis Christi* dissert. 21. §. 2. docens id ita dogma fidei esse, sicut dogma fidei est in Conciliis Florentino, & Tridentino contra Millenarios definitum, justos post Christi mortem confestim immarcescibili æternæ gloriæ corona donari. *Quæ doctrina*, inquit, (utinam demonstrasset!) *expresse habetur in Scriptura Sacra, & in traditione Sanctorum Patrum*. In eadem versati sunt alii sententia, quibus quo minus assentiar, plura, eaque gravissima impediunt momenta, de quibus aliàs fortasse. Auctor interim sum, ut aureum opus Melchioris Cani de Locis Teologicis sedulo, diligentissimeque præ oculis habeatur, præsertim vero quæ lib. 12. cap. 5. sapientissime ille disserit de notis, quibus quæstiones fidei d judicari possunt. Ex his enim facile quisque intelliget, hac in quæstione ea omnino desiderari, quæ ad religionis legem constituendam necessaria sunt.

Illud unum præterire nullo modo possum, fidenter nimis a nonnullis usurpari, veterem hanc esse sententiam, jam inde a primis Christianæ Reipublicæ ductam temporibus, atque omnium Patrum firmatam consensu, ita ut, auctore Vincentio Lirinensi, religionis lex putanda sit. Ex traditione quippe Catholica veritas firmari non potest, nisi apertissimis id expressum verbis apud Patres habeatur. Verum pro adversariorum sententia non solum apertissimæ non sunt Patrum omnium locutiones, & dicta; sed etiam non desunt, qui efficiant, Hilarium, Chrisostomum, & Augustinum (quales porro, quantosque Ecclesiæ Magistros!) in affirmantem descendisse sententiam, veteresque Patriarchas vere beatos, ac Dei lætatos conspectu re vera agnovisse. Desideratur ergo constans illa traditio atque omnium Patrum firmata consensu. Non me quidem latet, adversæ sententiæ Patronos constanter velle, unum vel alterum Ecclesiæ Doctorem detrimento esse non posse veteri perennique Ecclesiæ traditioni. Hos tamen urgere placet perspicuis Melchioris Cani testimoniis, iisque maxime, quæ lib. 7. cap. 3. leguntur Conclus. tertia. *Plurium Sanctorum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere, & præstare non valet*. Et post nonnulla: *Porro autem si* UNIUS, *aut paucorum opinatio non fuerit ab Ecclesia rejecta, tum plurimorum auctoritas, quemadmodum diximus, nihil certum, firmumque conficit*. Conclusione vero secunda hæc statuerat: UNIUS, *aut* DUORUM *Sanctorum auctoritas, etiam in his, quæ ad sacras litteras, & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Ita* DESPICERE, ET PRO NIHILO HABERE, IMPUDENTIS ERIT. Quæ tamen intelligenda vult de rebus, circa quas nullum extat Ecclesiæ judicium, quo in casu nos modo versamur.

Quibus hæc non sufficiunt, legant hi, quod habet ibid. conclus. quarta. *Omnium etiam Sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minime pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit*. Qua in causa testem profert satis idoneum, & gravem Vincentium Lirinensem in

dentiam conficiente prælaudato Joanne Cadonici loc. cit., immo fuisse invenirentur & alii Veteres Patres, si in eorum scriptis per-

scru-

in libro adversum profanas novationes, ubi: *Antiqua*, ait, *Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula, magno nobis studio, & investiganda est, & sequenda*. Et lib. 8. cap. 5. in respons. ad 3.: *Principio autem Theologos omnes admonitos esse velim, ut sepositis non affectibus modo, sed opinionum etiam præjudiciis, de causis fidei prudenter, graviterque decernant. Non enim si quidquam in schola bonis etiam temporibus inveteravit, non fidei dogma existimandum est. Sunt autem nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus a principio sunt imbuti, de rebus gravissimis sententiam ferunt, temeritate quadam, sine judicio, repentino quasi vento incitati, quæ longe alia essent, si judicio considerate, constanterque lata fuissent. Iij autem in eo primum errant, quod scholæ opiniones a certis constantibusque decretis non separant. Deinde errant in eo, quod duo rerum genera confundunt, unum earum, quæ ad religionem attinent, earum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem. Ac si Sanctorum veterum consensio, ut libro superiori definitum est, non in omnibus legis quæstionibus sequenda nobis, & tenenda est, sed solum in fidei regula; nec quævis illorum etiam in re gravi* COMUNIS OPINIO *fideles astringit, sed firmum constansque judicium: quid de recentioribus Scholæ Theologis dicere oportet, quos veteres illi longe & vitæ merito, & scripturarum usu, & auctoritatis pondere superarunt?* Hæc ille, in quibus orationis longitudo magnitudine utilitatis pensatur.

Neque obstant, quæ legimus, apud eundem Melchiorem Canum lib. 12. c. 5. hisce verbis: *Octava perceptio, Si Scholastici Theologi aliquam itidem conclusionem firmam, & stabilem una ore omnes statuerint, atque ut certum Theologiæ decretum fidelibus amplectendum constanter, & perpetuo docuerint, illam ut Catholicam veritatem fideles sane amplectuntur*. Hæc inquam non obstant. Quis enim afferat communem Scholasticorum sententiam, ut *certum Theologiæ decretum fidelibus* fuisse a Theologis propositum? quis gravissima attulit momenta, quæ *firmam ac stabilem conclusionem* efficerent, & non potius tanquam firmam, ac stabilem usurpaverit, nonnullis tantummodo ductus argumentis? ergo &c.

Ex hisce sedulo perpensis rite quisque intelliget, me apte, accomodateque pronunciasse, causam hanc, *cum nullo Ecclesiæ judicio definita sit, ad fidem non pertinere*, nihilque proinde de ejus Sanctitate, Sapientia, auctoritateque detrahi, qui affirmativam tueretur opinionem. Rem agam verbis præclarissimi nostri Fassonii loc. cit. cap. 3. §. 50. num. II. *Aliunde nihil de Patrum Sanctitate, sapientia, auctoritateque detrahitur, si quandoque, cum* NULLUM ADHUC ECCLESIA JUDICIUM TULIT, *cæterorum doctrinam atque opiniones reliquerint*. Cumque ab Augustini temporibus, de quo hic loquitur, nullum adhuc Ecclesia judicium protulerit; hinc fit, ut absque ullo Sanctitatis, sapientiæ, auctoritatisque detrimento modo etiam defendi id possit.

Illud saltem incommodi, dicet fortasse nonnemo, ex hac Hilarii sententia derivabit, quod & amplissimis illis detrahatur emolumentis, ac fructibus, qui ex morte Christi confluxerunt ad hominum genus, & Christi de inferis imminuatur triumphus, quem Patres omnes & summis, & maximis ornarunt laudibus. Quis autem sibi fingat, Sanctissimum Galliarum Episcopum ac Doctorem passioni Christi aliquid vel minimum voluisse detrahere? Ego vero perspectum habeo exploratumque, ex Hilarii sententia nihil hujusmodi sequi, immo sarta tectaque omnia servari, quæ a divinis litteris accepimus de commodis, & bo-

nis,

ſcrutandis ſedulam quis operam collocaret; quam ſi a Catholico dogmate in Conciliis Florentino Tridentinoque ſancito, tanti Epi-

ſcopi

nis, quæ Chriſti paſſio nobis peperit. Quatuor potiſſimum hæc ſunt, quæ ipſiſmet Romani Catechiſmi verbis juvat deſcribere. *Primum igitur*, ſic ille parte 1. de quarto Symboli articulo num. 14., *Domini paſſio peccati liberatio fuit. Nam ut eſt apud S. Joannem* (Apoc. 1. 5.): dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo: *Et Apoſtolus inquit* (Coloſ. 2. 14.): Convivificavit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci. *Deinde a Dæmonis tyrannide nos eripuit. Ipſe enim Dominus inquit* (Joan. 12. 31.): Nunc judicium eſt Mundi: nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras: & ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum. *Pœnam præterea peccatis noſtris debitam perſolvit. Tum vero, quia nullum gratius, & acceptius Deo ſacrificium offerri potuit, Patri nos reconciliavit, eumque nobis placatum, & propitium reddidit. Poſtremo, quoniam peccata ſuſtulit, cœlorum etiam aditum, communi humani generis peccato interclusum, nobis patefecit.* At hæc omnia in Hilarii quoque ſententia ampliſſime triumphant. Non eſt ergo, cur dicamus, ſua Hilarium ſententia injuriam non levem irrogare Chriſti paſſioni & morti.

Porro in hoc tantum differt Hilarius a Catechiſmo, quod ille Chriſti paſſione ita nos intelligit translatos in regnum cœleſte, & Paradiſi portas nobis apertas, quemadmodum a peccatis noſtris loti ſumus in ſanguine ejus, liberati a ſervitute diaboli, & Deo Patri reconciliati: ſicuti nimirum & ante Chriſti paſſionem remiſſa ſunt juſtis peccata, liberati ſunt a ſervitute Dæmonis, & Deo Patri fuerunt pii viri, ac optimi reconciliati: ita per Chriſti mortem translatos nos vult Hilarius in cœleſtis regni poſſeſſionem, ut nihilominus & ante Chriſti mortem juſti in beatorum ſedes deducerentur. Si illud vim poteſtatemque mortis Chriſti non imminuit, cur iſtud imminuet? Tantum id ſane abeſt, ut potius divinæ gratiæ, meritorumque Chriſti efficacia & pondus in Eccleſia in Adamo fundata, & uſque ad nos derivata ex Hilarii ſententia maxime appareat, commendetur, illuſtretur. Chriſtus enim Dominus Agnus eſt ille, *qui occiſus eſt ab origine Mundi*; & qui ex veteribus ſunt ſalutem conſecuti, ſalvi facti ſunt per Agni illius ſanguinem, ac mortem. Temere ergo ac oſcitanter nimis judicium pronunciant de hac Hilarii ſententia, qui eam detrahere exiſtimant emolumentis illis & plurimis, & uberrimis, quibus ex Chriſti morte ſumus largiter donati.

Hinc etiam habes, ſuum ſupereſſe & ſplendorem & decus Chriſti de inferis triumpho. Deſcendit quippe ad inferos, ut ibi etiam, quemadmodum in cœlo & in terris, vim ſuam, poteſtatemque declararet, & omnino, *ut in nomine ejus omne genuflecteretur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Declaravit autem & quatenus damnatos de ſua infidelitate, & malitia confutavit, & quatenus juſtorum animas in Purgatorio diverſantes, & piaculiaribus pœnis necdum plene purgatas, in certam ſpem gloriæ propediem conſequendæ erexit, immo & ex his plurimas ſingulari gratiæ ſuæ largitate liberavit, ut ex Auguſtino, aliiſque Patribus colligitur; & quatenus Patriarcharum plurimos ad vitam revocavit, ſuæque fecit reſurrectionis comites. Quantus etiam, & quam mirabilis fuit Chriſti triumphus, ubi majeſtatis ſuæ præſentiam potentiamque, quam ſævienti diabolo prius occuluerat, manifeſtam in inferis fecit, ſe ſeque humani generis

Re-

ſcopi auctoritas penitus ſubmoveatur, vel tanquam anceps, & ambigua, vel tanquam ab eo prorſus aliena. Ex illo enim nulla hinc anſa exhibetur hæreticis ad reprehendenda Eccleſiæ dogmata; datur tamen & quidem aptiſſima, ſi poſtremum admittatur. Cæ-

terum

Reparatorem, infernis profligatis, perditiſque poteſtatibus, illis ſpectandum exhibuit. Se autem prius dæmoni occultaſſe Chriſtum, diſcimus ex Patribus, præſertim vero ex S. Leone Magno ſerm. 11. de Paſſione cap. 3.: *Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolveret, & ſævienti diabolo potentiam ſuæ majeſtatis occuluit, & infirmitatem noſtræ humilitatis objecit. Si enim crudelis, & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Judæorum animos manſuetudine potius temperare, quam injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere: ne omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas ſua &c.* Quibus ſane omnibus fieri debuit, ut ampliſſimus, omniumque maximus eſſet Chriſti ad inferos proficiſcentis triumphus, dignuſque idcirco, qui tanta pompa, ac tot laudibus a Sanctis Patribus celebraretur. Hilarii ergo, quam hic exornandam ſuſcepi, ſententia ejuſmodi eſt, ut neque uberrima mortis Chriſti emolumenta deprimat, neque ullo modo deroget honorificentiſſimo Chriſti de Inferis triumpho.

Hinc etiam intelligas velim, in hac Hilarii ſententia in tuto omnino eſſe incredibilem illam videndi Meſſiæ cupiditatem, atque expectationem, tamque vehementes, & aſſiduas Hebræorum preses. Quod enim pronunciant adverſarii, nimirum: *ſi ſtatim ab obitu pii æternam inierint hæreditatem, cauſſam amplius nullam reperies, cur tanto Liberatoris divini deſideria arderent, efferrenturque tam incredibili ſtudio ... non fuit omnino, non fuit, cur Meſſiam tam cupide expectarent ... Languet tunc Hebræorum deſiderium, ceſſat voluntatum contentio, torpent propemodum & jacere videntur obſecrationes, & preces*: quod, inquam, hiſce verbis pronunciant, minus accurate dictum deprehendo: 1. quia ut docent divinæ litteræ, atque ex Romano Catechiſmo ſuperiori loco tradidi, præcipuum ac maximum paſſionis Chriſti beneficium fuit liberatio a peccato, quod ſane beneficium tantum eſt, ut illud & unice quodammodo, & ſemper divina Scriptura ob oculos nobis ponat: hinc Rom. 3. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguinem ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Coloſſ. 1. 14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ... & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Sic alibi paſſim. 2. quia tota precandi ratio, qua Sacerdotes Adventus tempore utuntur, præſertim vero in notiſſimis illis Antiphonis *O* vulgo dictis, circa redemptionem a peccatis verſatur: *veni ad liberandum nos in brachio extento: veni ad liberandum nos: veni, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & umbra mortis: veni & ſalva hominem, quem de limo formaſti: veni ad ſalvandum nos.* Quod ergo ſummo illo atque incredibili animorum ardore expectabant Judæi, redemptio erat a peccatis in Meſſiæ ſanguine, liberatio a ſervitute diaboli, uberiora divinæ gratiæ præſidia, quæ neceſſaria ſunt, tum ut virtutes colantur, tum ut ad vitam perveniamus æternam, maximarum exempla virtutum &c. Haſce porro cauſſas adventus Chriſti præſertim adducunt divinæ Scripturæ, haſce in ſuis precationibus proponit Eccleſia. Dicendum ergo & hiſce cauſſis motos Judæos fuiſſe, ut Meſſiam tam cupide expectarent. In Hilarii igitur ſententia nihil occurrit vel a religione abſonum, vel a veritate ullo modo alienum. Ergo &c.

ANDREÆ . GALLAND

VENETÆ. ORATORII. CONGREGATIONIS

PRESBYTERO

ET. VIRTUTE. ET. PIETATE. ET. RELIGIONE

SPECTATISSIMO

LITTERARUM. TUM. SACRARUM

TUM. ETIAM. PROFANARUM. ERUDITIONE

CLARISSIMO

OMNI. IN. RE. CRITICA

SANCTORUMQUE. PATRUM. LECTIONE

VERSATISSIMO

DE. CHRISTIANA. REPUBLICA

OB. INITUM. CONSILIUM. AC. LABOREM

NOVÆ. EDITIONIS. BIBLIOTHECÆ. PATRUM

EGREGIIS. AUCTÆ. NOTIS. ET. COMMENTARIIS

QUAM. MAXIME. MERITO

ANGELUS. MARIA. FELTRIUS

CLER. REGUL. SCHOLARUM. PIARUM

DISSERTATIONEM. HANC

QUÆ. AD. S. HILARII. PICTAVIENSIS. DOCTRINAM

ILLUSTRANDAM. PERTINET

HONORIS. AC. OBSERVANTIÆ. CAUSSA

D. D. D.

JOSEPH MARIA

A S. JOANNE BAPTISTA

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

CUm Dissertationem inscriptam: *S. Hilarii Pictavorum Episcopi de Piorum Statu ante Christi mortem Sententia nunc primum illustrata &c.*, ab Angelo Maria a S. Antonio Ordinis Nostri Sacerdote compositam, duo ex Nostris, quibus id commisimus, probaverint, ipsius edendæ facultatem, quantum in Nobis est, Auctori concedimus. Datum Romæ in Ædibus Nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 3. Augusti 1762.

JOSEPH MARIA A S. JOANNE BAPTISTA
Præpositus Generalis.

Loco ✠ Sigilli

Reg. fol. 121.

Octavius a. S. Francisco Secretarius.

terum hæc mea in dissertatione ita sollicitus ero de una Hilarii doctrina, ut nihil inde detrimenti allatum velim vulgatissimæ Scholarum opinioni, quæ Veteres Patriarchas, ac pios quoscunque ante Christi adventum a Dei conspectu removendos vult, collocandos vero in inferorum locis, ubi ex certa futuræ beatitudinis spe magnum gaudium perciperent, ex dilatione autem in doloribus versarentur. Illud enim probe memini, quod a Cl. Liberato Fassonio e nostra familia Theologo Doctissimo scriptum est in eleganti, eruditoque opere *De piorum in sinu Abrahæ beatitudine* duobus ab hinc annis Romæ typis impresso. *Veruntamen etsi magni viri* (ita cap. 3 § 50 num. II. de Augustino, cujus in locum Hilarium modo suppone) *Veruntamen etsi magni viri judicium a superiorum judicio discreparet, nihilominus reliquorum potius Patrum tot, atque tantorum, quorum sunt a nobis producta atque proposita testimonia, persequenda essent vestigia... Qui* (Hilarius) *sanctis viris, ac Patribus cum plurimum semper honorem habuerit, ne ipse quidem credo, committeret, ut quis opinionem suam tam exploratæ, tam firmæ, ac stabili Majorum sententiæ anteponendam putaret. Aliunde nihil de Patrum Sanctitate, sapientia, auctoritateque detrahitur, si quandoque,* CUM NULLUM ADHUC JUDICIUM ECCLESIA TULIT, *cæterorum doctrinam, atque opinionem reliquerint*. Hæc ille: quibus in verbis nonnihil esse, quod aliis nullo modo arridet, dissimulare non possum. Mea tamen nihil interest, ea expendere, cum ad unius Hilarii sententiam deducendam coarctari debeat disputatio mea. Viderint alii, ego interim ad argumenta progredior.

9 Ne autem, quod præcipuum est, rationem, & viam in hac disputatione desiderari patiar, exordiri juvabit a celeberrimo illo Hilarii testimonio, ex quo oblata occasio est & Tournely suam in publicum emittendi interpretationem, & mihi accurate, quoad potui, investigandi Galliæ Episcopi sententiam. Est autem illud ex Tract. in psal. 2. num. 48. ad illa Prophetæ verba: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa: cum exarserit in brevi ira ejus &c.* in quæ hæc habet Hilarius. *Pereunt autem* (impii) *de via justa*, cum exarserit in brevi ira ejus. *Non morosa hæc ira est, per quam de justa via pereunt: ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim*

nos statim ultor infernus: & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testis nobis Evangelicus Dives, & Pauper (2): *quorum unum Angeli* IN SEDIBUS BEATORUM, & IN ABRAHÆ SINU *locaverunt, alium statim*

(2) Historia ne sit, an parabola, quod de Lazaro, & Divite Lucæ 16. describitur, ad argumenti, quod versamus, vim, potestatemque nihil penitus refert. Ex eo siquidem illud traditur, quod inter Judæos constabat post mortem contingere tum justis cum impiis. Cæterum historiam existimavit Hilarius, ut satis apte apparet ex loco mox adducto, maxime vero ex tract. in psal. 122. n. 11. Qua in sententia plerosque ex Patribus fuisse, obvium est, ac planum ex iis inferre, quæ a doctissimis Scripturarum Interpretibus recensetur. Irenæus porro apertissimis rem verbis expressit l. 4. *Contra Hæreses* dicens cap. 2. alias 4. num. 4.: *Non autem fabulam retulit nobis pauperis & divitis*: & lib. 2. cap. 34. alias 62. *enarrationem, sive relationem* vocaverat, indeque confecerat animas nec mori, nec a corpore in corpus transire: *id nunquam alioqui facturus ex parabola*, animadvertente Cl. Fevardentio in priorem Irenæi locum, *quando ea de re Gnosticos frequenter damnaverit*. Tertullianus lib. de anima cap. 7. *Imaginem* (parabolam scilicet) *existimas exitum illum pauperis lætantis, & divitis mœrentis? & quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est?* Qua ductus ratione Ambrosius l. 8. cap. *de Divite induto* narrationem magis, quam parabolam arbitratur, Auctorque est Euthymius, divitem illum *Ayneusem* fuisse vocatum ex Hebræorum traditione, quem tamen ideo proprio nomine non appellavit Christus, ne illi infamiam, sibi invidiam conflaret. Reliquos Patres, plurimos sane ac præcipuos tum Latinos cum Græcos in re minoris momenti lubens prætermitto, Origenem scilicet, Cyprianum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Magnum &c. Illud unum addo, cum apud Patres parabolæ vocabulum huic narrationi tributum occurrit, non statim sequi totam narrationem inter parabolas, resque confictas esse rejiciendam; sed tantum aliqua ex parte metaphoram in ea esse, ubi præsertim de oculis, eorumque elevatione, de Abrahami conspectu, de clamore, siti, lingua, digitis, & articulatis animorum vocibus sermo est. Atque hæc etiam optima est ratio conciliandi Patres, qui modo parabolam dicunt, modo veritatis narrationem, ut de Irenæo sapientissime admonet Fevardentius loc. cit. Unum interim animadvertam ex Doctissimo Theologo Francisco-Amato Pouget peropportune petitum. Ille enim in aureo opere: *Institutiones Catholicæ in modum Catechesis* Tom. 1. part. 1. sect. 2. cap. 3. §. 16. pag. m. 391. hanc sibi proponens quæstionem: *Quomodo novimus animas statim atque a morte solutæ sunt, vel suppliciis, vel præmiis affici, non expectato ultimi judicii die?* hunc in modum respondet. *Id Scriptura, & Traditione constat, & Ecclesia definivit. Scriptura quidem: legimus enim in Evangelio divitem Epulonem statim a morte sepultum fuisse in inferno, ibique cruciari. Legimus ibidem pauperem Lazarum translatum fuisse in sinum Abrahæ, ibique frui æterna consolatione*. At si translatum velis Lazarum in sinum Abrahæ, a quo longe abesset solida illa, ac sempiterna felicitas, quæ in Deo videndo, possidendoque sita est, inanis est prorsus responsio: Vel ipse enim Burnetus locum quietis, ac somni adeundum esse animabus post mortem excogitavit. Ergo ut ea ex parabola efficiatur, statim a morte reddi justorum animabus sempiternas ex Dei adspectu profluentes delicias, necesse omnino est, ut statuatur, Lazari, quæ ibi describitur, consolationem ex Dei visione manasse.

tim POENÆ *reglo suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ est. Judicii enim dies vel* BEATITUDINIS RETRIBUTIO EST ÆTERNA, vel POENÆ. *Tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* Postrema hæc verba cum sibi Gallus Scriptor objiecisset in hæreticorum persona ajentium beatitatem Sanctis animabus usque ad judicii diem etiam a Pictavorum Episcopo retardatam demonstrari, hunc in modum interpetratur loc. cit. (§. 3). *Judicii dies, de qua loquitur* (Hilarius), *est dies Judicii non ultimi, & universalis, sed particularis, quod statim a morte quilibet homo experitur. Quod ibidem probat S. Doctor exemplo divitis epulonis, & Lazari, qui uterque sine mora statim judicatus fuit; & iste* GLORIAM, *ille vero debitam* POENAM *reportavit. Unde testimonium illud S. Hilarii favet plurimum causæ Catholicæ, nedum ipsi noceat.* Hanc Tournely explicationem laudat vir eximius Joannes Cadonici in suis Vindiciis Augustinianis c. 16. pag. 266, eaque potissimum utitur, ut inde efficiat, non posse hoc ipsum de gloria a die obitus Lazaro, ac cæteris etiam justis Vet. Test. collata tanquam male sonans in Augustino reprehendi, cum in Hilario a Tournelyo commendetur.

10 Tournelyum ita Hilarium explicando *satis distincte, & illuminate non egisse*, ac proinde ejus interpretationem minimi esse faciendam, respondent contrariæ sententiæ adsertores. Quibus verbis si notatum hi vellent Gallum Theologum, propterea quod in re tam gravi, atque a Scholasticorum suffragio plurimum aliena nullum responsionis suæ fundamentum adduxerit, sed gratis penitus usurpaverit, consentientem me facile haberent: Quoniam vero compertum mihi est, horum Theologorum objurgationem eo spectare, ut Gallum Scriptorem reprehendant, quippe qui assecutus non fuerit Pictaviensis Episcopi mentem, illudque responsionis genus probaverit, quod vel conciliari vix potest cum aliis Hilarii locutionibus, vel ab iis quam longissime aberrat, ideo ab hac nota vindicandum eum esse, diligenti, quoad potui, Hilarii lectione sum firmiter edoctus.

11 Quod autem primo loco me movet ad tuendam Tournely interpretationem illud est, quod Theologi vulgo omnes ex

eodem Hilarii testimonio argumentum depromant contra hæreticos pro asserenda ex Hilario Dei visione animabus justorum N. T. ante corporum restitutionem donanda. Hoc autem posito, cujus infra rationem reddam firmissimam, ita argumentum efformo. Productum Hilarii testimonium ex communi theologorum suffragio aptissimum maxime censetur ad stabiliendum, docuisse Pictavorum Episcopum, cælestem gloriam statim a morte conferri Sanctis animabus N. T., uti est ab Ecclesia definitum: Atqui easdem ob causas, propter quas aptissimum illud esse novimus illi dogmati asserendo, aptissimum quoque fateamur oportet ad eruendum, Lazarum, ac cæteros proinde Vet. Testam. justos de Hilarii sententia consecutos statim fuisse divinitatis conspectum; ergo non longe a vero aberravit Tournelyus cum in sensum accipiens Hilarii testimonium.

12 Argumenti hujus ut late pateat veritas, statuendum inprimis est, in quo sitam velint Theologi testimonii illius vim ac pondus, cum illud adhibent ad exornandas Hilarii vindicias ab imputatione Millenariorum Regni, eique affinium errorum. Triplici videlicet ex capite inde argumentantur: 1. ex firmissimo illo vulgatissimoque principio, quod ipse Pictavorum Magister disertissimis hisce verbis expressit in psal. 67. num. 4. *Æqua enim judicii cælestis, & justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, ita & justos lætitia munerari*. 2. ex amplissimis vocabulis, quibus piorum post mortem describitur locus, statusque, *in sedibus Beatorum*, *beatitudinis retributio* &c. 3. ex voce *æterna* ei addita statui, quem beatitudinis retributionem appellavit Hilarius, *beatitudinis retributio æterna*.

13 Triplici, inquam, ex hoc capite argumenta petunt theologi, ut probent, Hilarium non existimasse, cælestem beatitudinem sanctis animabus diferri usque ad resurrectionis diem. Accipias id velim ex Ludovico Antonio Muratorio loc. cit. cap. 12. pag. m. 156. ita disserente. Ac I. *Et sane si improbos e præsenti sæculo decedentes confestim pœna excipis, divinam clementiam pariter decet, probos vicissim ad præmium sine mora transire. Quei enim Deus, qui pœnitentiam potius, quam mortem peccatorum amat, tam festinus ad malos puniendos sit, tam piger ad bonos præmio donandos?... Si judicium postremum erit retributio æterna Beatitudinis, cujus participes antea fuerunt*

esse-

effecti II. Quoad alterum argumenti caput, mox pergit. *Quod diserte nuper confessus est ipse met Hilarius, dum sinum Abrahæ* SEDES BEATORUM *appellavit*; immo BEATITUDINIS retributionem addere debebat. Paulo vero supra dixerat de amplissima illa sinus Abrahæ appellatione: *Quid sit Abrahæ sinus percontaris?* SEDES BEATORUM, *atque idem locus, quem Liturgiæ vetustissimæ nuper descripserunt, uti ineffabilis Beatitudinis domicilium*. III. Demum, quod spectat ad vocabulum *æterna*, ita ratiocinatur pag. 158.: *Porro dubitationi cuicumque Sanctus ipse vir aditum præcludit, quum in sinu Abrahæ quietem quidem, sive requiem statuit, sed* BEATAM, *sed* ÆTERNAM, *ut vidimus. Si requies illa in sinu Abrahæ non solum* BEATA *est, sed etiam* ÆTERNA, *hoc est semper duratura, nunquam cessatura: ergo nihil aliud esse potest, nisi cælestis animarum Beatitudo, & felicissima illa requies, de qua Apostolus ait.* Festinemus ingredi in illam requiem.: *Rursus, si* ÆTERNA *est, etiamsi supremi judicii dies adveniat, perget anima beatitudine, seu requie illa frui; ac tum solum caro rediviva in beatitudinis illius consortium recipietur*. Ita Muratorius ex allato testimonio Hilarium vindicat a Millenariorum errore.

14 Atqui hæc omnia æquo jure evincunt, Hilarium idem sensisse de piorum in sinu Abrahæ beatitudine ante Christi obitum: Nihil est enim in his, quod apte, accomodateque transferri nequeat, immo non debeat ad antiquos illos justos, speciatim vero ad Evangelicum Pauperem, cujus post mortem conditio ab Hilario hic describitur; ergo vel ex illo testimonio non probatur Hilarii sententia de prompta nunc beatitudinis retributione pro animabus justorum, vel ex illo etiam efficitur, Lazarum, & antiquos Sanctos, non expectato Reparatoris nostri adventu, in beatorum hæreditatem fuisse admissos. Primum contra Theologos est, & obest nonnihil causæ Catholicæ, cum de aliis etiam Patribus idem institui possit argumentum; alterum vero contra receptam tantum in Scholis opinionem est; juvat ergo postremum amplecti. Et re quidem vera, I. aperte probatum habemus Evangelica narratione, e corpore decedentes confestim vel pœnæ, vel beatitudinis regione excipi, quemadmodum contigit Evangelico Diviti, & Lazaro. II. Habemus de Lazaro disertissime pronunciatum, quod ab Angelis *in sedibus Beatorum*

dentiam conficiente prælaudato Joanne Cadonici loc. cit., immo fuisse invenirentur & alii Veteres Patres, si in eorum scriptis per scru-

in libro adversum profanas novationes, ubi: *Antiqua*, ait, *Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula, magno nobis studio, & investiganda est, & sequenda*. Et lib. 8. cap. 5. in respons. ad 3.: *Principio autem Theologos omnes admonitos esse velim, ut sepositis non affectibus modo, sed opinionum etiam præjudiciis, de causis fidei prudenter, graviterque decernant. Non enim si quidquam in schola bonis etiam temporibus inveteravit, non fidei dogma existimandum est. Sunt autem nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus a principio sunt imbuti, de rebus gravissimis sententiam ferunt, temeritate quadam, sine judicio, repentino quasi vento inciruti, quæ longe alia essent, si judicio considerate, constanterque lata fuissent. Hi autem in eo primum errant, quod scholæ opiniones a certis constantibusque decretis non separant. Deinde errant in eo, quod duo rerum genera confundunt, unum earum, quæ ad religionem attinent, eorum alterum, quæ hanc ne attingant quidem. Ac si Sanctorum veterum consensio, ut libro superiori definitum est, non in omnibus legis quæstionibus sequenda nobis, & tenenda est, sed solum in fidei regula; nec quævis illorum etiam in re gravi* COMUNIS OPINIO *fideles astringit, sed firmum constansque judicium: exquid de recentioribus Scholæ Theologis dicere oportet, quos veteres illi longe & vitæ merita, & scripturarum usu, & auctoritatis pondere superarunt?* Hæc ille, in quibus orationis longitudo magnitudine utilitatis pensatur.

Neque obstant, quæ legimus, apud eumdem Melchiorem Canum lib. 12. c. 5. hisce verbia: *Octava perceptio, Si Scholastici Theologi aliquam itidem conclusionem firmam, & stabilem uno ore omnes statuerint, atque ut certum Theologiæ decretum fidelibus amplectendum constanter, & perpetuo docuerint, illam ut Catholicam veritatem fideles sane amplectentur*. Hæc inquam non obstant. Quis enim asserat communem Scholasticorum sententiam, ut *certum Theologiæ decretum fidelibus* fuisse a Theologis propositum? quis gravissima attulit momenta, quæ *firmam ac stabilem conclusionem* efficerent, & non potius tanquam firmam, ac stabilem usurpaverit, nonnullis tantummodo ductus argumentis? ergo &c.

Ex hisce sedulo perpensis rite quisque intelliget, me apte, accomodateque pronunciasse, causam hanc, *cum nulla Ecclesiæ judicio definita sit, ad fidem non pertinere*, nihilque proinde de ejus Sanctitate, Sapientia, auctoritateque detrahi, qui affirmativam tueretur opinionem. Rem agam verbis præclarissimi nostri Fassonii loc. cit. cap. 3. § 50. num. II. *Aliunde nihil de Patrum Sanctitate, sapientia, auctoritateque detrahitur, si quandoque, cum* NULLUM ADHUC ECCLESIA JUDICIUM TULIT, *caeterorum doctrinam atque opiniones reliquerint*. Cumque ab Augustini temporibus, de quo hic loquitur, nullum adhuc Ecclesia judicium protulerit; hinc fit, ut absque ullo Sanctitatis, sapientiæ, auctoritatisque detrimento modo etiam defendi id possit.

Illud saltem incommodi, dicet fortasse nonnemo, ex hac Hilarii sententia derivabit, quod & amplissimis illis detrahatur emolumentis, ac fructibus, qui ex morte Christi confluxerunt ad hominum genus, & Christi de inferis imminuatur triumphus, quem Patres omnes & summis, & maximis ornarunt laudibus. Quis autem sibi fingat, Sanctissimum Galliarum Episcopum ac Doctorem passioni Christi aliquid vel minimum voluisse detrahere? Ego vero perspectum habeo exploratumque, ex Hilarii sententia nihil hujusmodi sequi, immo sarta tectaque omnia servari, quæ a divinis litteris accepimus de commodis, & bo-

nis,

scrutandis sedulam quis operam collocaret; quam si a Catholico dogmate in Conciliis Florentino Tridentinoque sancito, tanti Episcopi

nis, quæ Christi passio nobis peperit. Quatuor potissimum hæc sunt, quæ ipsismet Romani Catechismi verbis juvat describere. *Primum igitur*, sic ille parte 1. de quarto Symboli articulo num. 14., *Domini passio peccati liberatio fuit. Nam ut est apud S. Joannem* (Apoc. 1. 5.): dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: *Et Apostolus inquit* (Colos. 2. 14.): Convivificavit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci. *Deinde a Dæmonis tyrannide nos eripuit. Ipse enim Dominus inquit* (Joan. 12. 31.): Nunc judicium est Mundi: nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras: & ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. *Pœnam præterea peccatis nostris debitam persolvit. Tum vero, quo nullum gratius, & acceptius Deo sacrificium offerri potuit, Patri nos reconciliavit, eumque nobis placatum, & propitium reddidit. Postremo, quoniam peccata sustulit, cælorum etiam aditum, communi humani generis peccato interclusum, nobis patefecit.* At hæc omnia in Hilarii quoque sententia amplissime triumphant. Non est ergo, cur dicamus, sua Hilarium sententia injuriam non levem irrogare Christi passioni & morti.

Porro in hoc tantum differt Hilarius a Catechismo, quod ille Christi passione ita nos intelligit translatos in regnum cæleste, & Paradisi portas nobis apertas, quemadmodum a peccatis nostris loti sumus in sanguine ejus, liberati a servitute diaboli, & Deo Patri reconciliati: sicuti nimirum & ante Christi passionem remissa sunt justis peccata, liberati sunt a servitute Dæmonis, & Deo Patri fuerunt pii viri, ac optimi reconciliati: ita per Christi mortem translatos nos vult Hilarius in cælestis regni possessionem, ut nihilominus & ante Christi mortem justi in beatorum sedes deducerentur. Si illud vim potestatemque mortis Christi non imminuit, cur istud imminuet? Tantum id sane abest, ut potius divinæ gratiæ, meritorumque Christi efficacia & pondus in Ecclesia in Adamo fundata, & usque ad nos derivata ex Hilarii sententia maxime appareat, commendetur, illustretur. Christus enim Dominus Agnus est ille, *qui occisus est ab origine Mundi*; & qui ex veteribus sunt salutem consecuti, salvi facti sunt per Agni illius sanguinem, ac mortem. Temere ergo ac oscitanter nimis judicium pronunciant de hac Hilarii sententia, qui eam detrahere existimant emolumentis illis & plurimis, & uberrimis, quibus ex Christi morte sumus largiter donati.

Hinc etiam habes, suum superesse & splendorem & decus Christi de inferis triumpho. Descendit quippe ad inferos, ut ibi etiam, quemadmodum in cœlo & in terris, vim suam, potestatemque declararet, & omnino, *ut in nomine ejus omne genuflecteretur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Declaravit autem & quatenus damnatos de sua infidelitate, & malitia confutavit, & quatenus justorum animas in Purgatorio diversantes, & piaculiaribus pœnis needum plene purgatas, in certam spem gloriæ propediem consequendæ erexit, immo & ex his plurimas singulari gratiæ suæ largitate liberavit, ut ex Augustino, aliisque Patribus colligitur; & quatenus Patriarcharum plurimos ad vitam revocavit, suæque fecit resurrectionis comites. Quantus etiam, & quam mirabilis fuit Christi triumphus, ubi majestatis suæ præsentiam potentiamque, quam sævienti diabolo prius occuluerat, manifestam in inferis fecit, se seque humani generis

Re-

ſcopi auctoritas penitus ſubmoveatur, vel tanquam anceps, & ambigua, vel tanquam ab eo prorſus aliena. Ex illo enim nulla hinc anſa exhibetur hæreticis ad reprehendenda Eccleſiæ dogmata; datur tamen & quidem aptiſſima, ſi poſtremum admittatur. Cæterum

Reparatorem, infernis profligatis, perditiſque poteſtatibus, illis ſpectandum exhibuit. Se antem prius dæmoni occultaſſe Chriſtum, diſcimus ex Patribus, præſertim vero ex S. Leone Magno ſerm. 11. de Paſſione cap. 3.: *Qui ne humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolveret, & ſævienti diabolo potentiam ſuæ majeſtatis occuluit, & infirmitatem noſtræ humilitatis objecit. Si enim crudelis, & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet, Judæorum animos manſuetudine potius temperare, quam injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere: ne omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem. Feſellit ergo illum malignitas ſua &c.* Quibus ſane omnibus fieri debuit, ut ampliſſimus, omniumque maximus eſſet Chriſti ad inferos proficiſcentis triumphus, dignuſque idcirco, qui tanta pompa, ac tot laudibus a Sanctis Patribus celebraretur. Hilarii ergo, quam hic exornandam ſuſcepi, ſententia ejuſmodi eſt, ut neque uberrima mortis Chriſti emolumenta deprimat, neque ullo modo deroget honorificentiſſimo Chriſti de Inferis triumpho.

Hinc etiam intelligas velim, in hac Hilarii ſententia in tuto omnino eſſe incredibilem illam videndi Meſſiæ cupiditatem, atque expectationem, tamque vehementes, & aſſiduas Hebræorum preses. Quod enim pronunciant adverſarii, nimirum: *ſi ſtatim ab obitu pii æternam inierint hæreditatem, cauſſam amplius nullam reperies, cur tanto Liberatoris divini deſiderio arderent, efferrenturque tam incredibili ſtudio ... non fuit omnino, non fuit, cur Meſſiam tam cupide expectarent, .. Languet tunc Hebræorum deſiderium, ceſſat voluntatum contentio, torpent propemodum & jacere videntur obſecrationes, & preces*: quod, inquam, hiſce verbis pronunciant, minus accurate dictum deprehendo: 1. quia ut docent divinæ litteræ, utque ex Romano Catechiſmo ſuperiori loco tradidi, præcipuum ac maximum paſſionis Chriſti beneficium fuit liberatio a peccato, quod ſane beneficium tantum eſt, ut illud & unice quodammodo, & ſemper divina Scriptura ob oculos nobis ponat: hinc Rom. 3. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguinem ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Coloſſ. 1. 14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum... & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Sic alibi paſſim. 2. quia tota precandi ratio, qua Sacerdotes Adventus tempore utuntur, præſertim vero in notiſſimis illis Antiphonis O vulgo dictis, circa redemptionem a peccatis verſatur: *veni ad liberandum nos in brachio extento: veni ad liberandum nos: veni, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & umbra mortis: veni & ſalva hominem, quem de limo formaſti: veni ad ſalvandum nos.* Quod ergo ſummo illo atque incredibili animorum ardore expectabant Judæi, redemptio erat a peccatis in Meſſiæ ſanguine, liberatio a ſervitute diaboli, uberiora divinæ gratiæ præſidia, quæ neceſſaria ſunt, tum ut virtutes colantur, tum ut ad vitam perveniamus æternam, maximarum exempla virtutum &c. Haſce porro cauſſas adventus Chriſti præſertim adducunt divinæ Scripturæ, haſce in ſuis precationibus proponit Eccleſia. Dicendum ergo & hiſce cauſſis motos Judæos fuiſſe, ut Meſſiam tam cupide expectarent. In Hilarii igitur ſententia nihil occurrit vel a religione abſonum, vel a veritate ullo modo alienum. Ergo &c.

ANDREÆ . GALLAND

VENETÆ. ORATORII. CONGREGATIONIS

PRESBYTERO

ET. VIRTUTE. ET. PIETATE. ET . RELIGIONE

SPECTATISSIMO

LITTERARUM. TUM . SACRARUM

TUM. ETIAM. PROFANARUM. ERUDITIONE

CLARISSIMO

OMNI. IN. RE. CRITICA

SANCTORUMQUE. PATRUM. LECTIONE

VERSATISSIMO

DE . CHRISTIANA. REPUBLICA

OB. INITUM. CONSILIUM. AC. LABOREM

NOVÆ. EDITIONIS. BIBLIOTHECÆ. PATRUM

EGREGIIS. AUCTÆ. NOTIS. ET. COMMENTARIIS

QUAM. MAXIME. MERITO

ANGELUS. MARIA. FELTRIUS

CLER. REGUL. SCHOLARUM. PIARUM

DISSERTATIONEM. HANC

QUÆ. AD. S. HILARII. PICTAVIENSIS. DOCTRINAM

ILLUSTRANDAM. PERTINET

HONORIS. AC. OBSERVANTIÆ. CAUSSA

D. D. D.

JOSEPH MARIA

A S. JOANNE BAPTISTA

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

CUm Dissertationem inscriptam: *S. Hilarii Pictavorum Episcopi de Piorum Statu ante Christi mortem Sententia nunc primum illustrata &c.*, ab Angelo Maria a S. Antonio Ordinis Nostri Sacerdote compositam, duo ex Nostris, quibus id commisimus, probaverint, ipsius edendæ facultatem, quantum in Nobis est, Auctori concedimus. Datum Romæ in Ædibus Nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 3. Augusti 1762.

JOSEPH MARIA A S. JOANNE BAPTISTA
Præpositus Generalis.

Loco ✠ Sigilli

Reg. fol. 121.

Octavius a. S. Francisco Secretarius.

terum hac mea in dissertatione ita sollicitus ero de una Hilarii doctrina, ut nihil inde detrimenti allatum velim vulgatissimæ Scholarum opinioni, quæ Veteres Patriarchas, ac pios quoscunque ante Christi adventum a Dei conspectu removendos vult, collocandos vero in inferorum locis, ubi ex certa futuræ beatitudinis spe magnum gaudium perciperent, ex dilatione autem in doloribus versarentur. Illud enim probe memini, quod a Cl. Liberato Fassonio e nostra familia Theologo Doctissimo scriptum est in eleganti, eruditoque opere *De piorum in sinu Abrahæ beatitudine* duobus ab hinc annis Romæ typis impresso. *Veruntamen etsi magni viri* (ita cap. 3 § 50 num. II. de Augustino, cujus in locum Hilarium modo suppone) *Veruntamen etsi magni viri judicium a superiorum judicio discreparet, nihilominus reliquorum potius Patrum tot, atque tantorum, quorum sunt a nobis producta atque proposita testimonia, persequenda essent vestigia... Qui* (Hilarius) *sanctis viris, ac Patribus cum plurimum semper honorem habuerit, ne ipse quidem credo, committeret, ut quis opinionem suam tam exploratæ, tam firmæ, ac stabili Majorum sententiæ anteponendam putaret. Aliunde nihil de Patrum Sanctitate, sapientia, auctoritateque detrahitur, si quandoque,* CUM NULLUM ADHUC JUDICIUM ECCLESIA TULIT, *cæterorum doctrinam, atque opinionem reliquerint*. Hæc ille: quibus in verbis nonnihil esse, quod aliis nullo modo arridet, dissimulare non possum. Mea tamen nihil interest, ea expendere, cum ad unius Hilarii sententiam deducendam coarctari debeat disputatio mea. Viderint alii, ego interim ad argumenta progredior.

9 Ne autem, quod præcipuum est, rationem, & viam in hac disputatione desiderari patiar, exordiri juvabit a celeberrimo illo Hilarii testimonio, ex quo oblata occasio est & Tournely suam in publicum emittendi interpretationem, & mihi accurate, quoad potui, investigandi Galliæ Episcopi sententiam. Est autem illud ex Tract. in psal. 2. num. 48. ad illa Prophetæ verba: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa: cum exarserit in brevi ira ejus &c.* in quæ hæc habet Hilarius. *Pereunt autem* (impii) *de via justa*, cum exarserit in brevi ira ejus. *Non morosa hæc ira est, per quam de justa via pereunt: ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim*

 nos

nos statim ultor infernus: & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testis nobis Evangelicus Dives, & Pauper (a): *quorum unum Angeli* IN SEDIBUS BEATORUM, & IN ABRAHÆ SINU *locaverunt, alium statim*

(a) Historia ne sit, an parabola, quod de Lazaro, & Divite Lucæ 16. describitur, ad argumenti, quod versamus, vim, potestatemque nihil penitus refert. Ex eo siquidem illud traditur, quod inter Judæos constabat post mortem contingere tum justis cum impiis. Cæterum historiam existimavit Hilarius, ut satis apte apparet ex loco mox adducto, maxime vero ex tract. in psal. 122. n. 11. Qua in sententia plerosque ex Patribus fuisse, obvium est, ac planum ex iis inferre, quæ a doctissimis Scripturarum Interpretibus recensetur. Irenæus porro apertissimis rem verbis expressit l. 4. *Contra Hæreses* dicens cap. 2. alias 4 num. 4.: *Non autem fabulam retulit nobie poaperis & d vitis*: & lib. 2. cap. 34. alias 62. *enarrationem, sive relationem* vocaverat, indeque consecerat animas nec mori, nec a corpore in corpus transire: *id nanquam aliequi fatinuat ex parabola*, animadvertente Cl. Fevardentio in priorem Irenæi locum, *quando eo de re Gnosticos frequenter domnaverit*. Tertullianus lib. de anima cap. 7. *Imaginem* (parabolam scilicet) *existimas exitum illum pauperis lætantis, & divitis mærentis? & quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est?* Qua ductus ratione Ambrosius l. 8. cap. *de Divite induto* narrationem magis, quam parabolam arbitratur, Auctorque est Euthymius, divitem illum *Ayaensem* fuisse vocatum ex Hebræorum traditione, quem tamen ideo proprio nomine non appellavit Christus, ne illi infamiam, sibi invidiam conflaret. Reliquos Patres, plurimos sane ac præcipuos tum Latinos cum Græcos in re minoris momenti lubens prætermitto, Origenem scilicet, Cyprianum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Magnum &c. Illud unum addo, cum apud Patres parabolæ vocabulum huic narrationi tributum occurrit, non statim sequi totam narrationem inter parabolas, resque confictas esse rejiciendam; sed tantum aliqua ex parte metaphoram inesse, ubi præsertim de oculis, eorumque elevatione, de Abrahami conspectu, de clamore, siti, lingua, digitis, & articulatis animorum vocibus sermo est. Atque hæc etiam optima est ratio conciliandi Patres, qui modo parabolam dicunt, modo veritatis narrationem, ut de Irenæo sapientissime admonet Fevardentius loc. cit. Unum interim animadvertam ex Doctissimo Theologo Francisco-Amato Pouget peropportune petitum. Ille enim in aureo opere: *Institutiones Catholicæ in modum Catecheses* Tom. 1. part. 1. sect. 2. cap. 3. §. 16. pag. m. 391. hanc sibi proponens quæstionem: *Quomodo novimus animas statim atque a morte solutæ sunt, vel suppliciis, vel præmiis affici, non expectato ultimi judicii die?* hunc in modum respondet. *Jd Scriptara, & Traditione constat, & Ecclesia definivit. Scriptura quidem: legimus enim in Evangelio divitem Epulonem statim a morte sepultum fuisse in inferno, ibique cruciari. Legimus ibidem pauperem Lazarum translatum fuisse in sinum Abrahæ, ibique frui æterna consolatione.* At si translatum velis Lazarum in sinum Abrahæ, a quo longe abesset solida illa, ac sempiterna felicitas, quæ in Deo videndo, possidendoque sita est, inanis est prorsus responsio: Vel ipse enim Burnetus locum quietis, ac somni adeundum esse animabus post mortem excogitavit. Ergo ut ea ex parabola efficiatur, statim a morte reddi justorum animabus sempiternas ex Dei adspectu profluentes delicias, necesse omnino est, ut statuatur, Lazari, quæ ibi describitur, consolationem ex Dei visione manasse.

tiin POENÆ *regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ est. Judicii enim dies vel* BEATITUDINIS RETRIBUTIO EST ÆTERNA, vel POENÆ. *Tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* Postrema hæc verba cum sibi Gallus Scriptor objiecisset in hæreticorum persona ajentium beatitatem Sanctis animabus usque ad judicii diem etiam a Pictavorum Episcopo retardatam demonstrari, hunc in modum interpetratur loc. cit. (§. 3). *Judicii dies, de qua loquitur* (Hilarius), *est dies Judicii non ultimi, & universalis; sed particularis, quod statim a morte quilibet homo experitur. Quod ibidem probat S. Doctor exemplo divitis epulonis, & Lazari, qui uterque sine mora statim judicatus fuit; & iste* GLORIAM, *ille vero debitam* POENAM *reportavit. Unde testimonium illud S. Hilarii favet plurimum causæ Catholicæ, nedum ipsi noceat.* Hanc Tournely explicationem laudat vir eximius Joannes Cadonici in suis Vindiciis Augustinianis c. 16. pag. 266, eaque potissimum utitur, ut inde efficiat, non posse hoc ipsum de gloria a die obitus Lazaro, ac cæteris etiam justis Vet. Test. collata tanquam male sonans in Augustino reprehendi, cum in Hilario a Tournelyo commendetur.

10 Tournelyum ita Hilarium explicando *satis distincte, & illuminate non egisse*, ac proinde ejus interpretationem minimi esse faciendam, respondent contrariæ sententiæ adsertores. Quibus verbis si notatum hi vellent Gallum Theologum, propterea quod in re tam gravi, atque a Scholasticorum suffragio plurimum aliena nullum responsionis suæ fundamentum adduxerit, sed gratis penitus usurpaverit, consentientem me facile haberent: Quoniam vero compertum mihi est, horum Theologorum objurgationem eo spectare, ut Gallum Scriptorem reprehendant, quippe qui assecutus non fuerit Pictaviensis Episcopi mentem, illudque responsionis genus probaverit, quod vel conciliari vix potest cum aliis Hilarii locutionibus, vel ab iis quam longissime aberrat, ideo ab hac nota vindicandum eum esse, diligenti, quoad potui, Hilarii lectione sum firmiter edoctus.

11 Quod autem primo loco me movet ad tuendam Tournely interpretationem illud est, quod Theologi vulgo omnes ex

 eodem

eodem Hilarii testimonio argumentum depromant contra hæreticos pro asserenda ex Hilario Dei visione animabus justorum N. T. ante corporum restitutionem donanda. Hoc autem posito, cujus infra rationem reddam firmissimam, ita argumentum efformo. Productum Hilarii testimonium ex communi theologorum suffragio aptissimum maxime censetur ad stabiliendum, docuisse Pictavorum Episcopum, cælestem gloriam statim a morte conferri Sanctis animabus N. T., uti est ab Ecclesia definitum: Atqui easdem ob causas, propter quas aptissimum illud esse novimus illi dogmati asserendo, aptissimum quoque fateamur oportet ad eruendum, Lazarum, ac cæteros proinde Vet. Testam. justos de Hilarii sententia consecutos statim fuisse divinitatis conspectum; ergo non longe a vero aberravit Tournelyus eum in sensum accipiens Hilarii testimonium.

12 Argumenti hujus ut late pateat veritas, statuendum inprimis est, in quo sitam velint Theologi testimonii illius vim ac pondus, cum illud adhibent ad exornandas Hilarii vindicias ab imputatione Millenariorum Regni, eique affinium errorum. Triplici videlicet ex capite inde argumentantur: 1. ex firmissimo illo vulgatissimoque principio, quod ipse Pictavorum Magister disertissimis hisce verbis expressit in psal. 67. num. 4. *Æqua enim judicii cælestis, & justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, ita & justos lætitia munerari*. 2. ex amplissimis vocabulis, quibus piorum post mortem describitur locus, statusque, *in sedibus Beatorum*, *beatitudinis retributio* &c. 3. ex voce *æterna* ei addita statui, quem beatitudinis retributionem appellavit Hilarius, *beatitudinis retributio æterna*.

13 Triplici, inquam, ex hoc capite argumenta petunt theologi, ut probent, Hilarium non existimasse, cælestem beatitudinem sanctis animabus differri usque ad resurrectionis diem. Accipias id velim ex Ludovico Antonio Muratorio loc. cit. cap. 12. pag. m. 156. ita disserente. Ac I. *Et sane si improbos e præsenti sæculo decedentes confestim pœna excipit, divinam clementiam pariter decet, probos vicissim ad præmium sine mora transire. Quei enim Deus, qui pœnitentiam potius, quam mortem peccatorum amat, tam festinus ad malos puniendos sit, tam piger ad bonos præmio donandos?... Si judicium postremum erit retributio æterna Beatitudinis, cujus participes antea fuerunt effe-*

effecti. II. Quoad alterum argumenti caput, mox pergit. *Quod diserte nuper confessus est ipse met Hilarius, dum sinum Abrahæ* SEDES BEATORUM *appellavit*; immo BEATITUDINIS retributionem addere debebat. Paulo vero supra dixerat de amplissima illa sinus Abrahæ appellatione: *Quid sit Abrahæ sinus percontaris? SEDES BEATORUM, atque idem locus, quem Liturgiæ vetustissimæ nuper descripserunt, uti ineffabilis Beatitudinis domicilium*. III. Demum, quod spectat ad vocabulum *æterna*, ita ratiocinatur pag. 158.: *Porro dubitationi cuicumque Sanctus ipse vir aditum præcludit, quum in sinu Abrahæ quietem quidem, sive requiem statuit, sed* BEATAM, *sed* ÆTERNAM, *ut vidimus. Si requies illa in sinu Abrahæ non solum* BEATA *est, sed etiam* ÆTERNA, *hoc est semper duratura, nunquam cessatura: ergo nihil aliud esse potest, nisi cælestis animarum Beatitudo, & felicissima illa requies, de qua Apostolus ait*. Festinemus ingredi in illam requiem.: *Rursus, si* ÆTERNA *est, etiamsi supremi judicii dies adveniat, perget anima beatitudine, seu requie illa frui; ac tum solum caro rediviva in beatitudinis illius consortium recipietur*. Ita Muratorius ex allato testimonio Hilarium vindicat a Millenariorum errore.

14 Atqui hæc omnia æquo jure evincunt, Hilarium idem sensisse de piorum in sinu Abrahæ beatitudine ante Christi obitum: Nihil est enim in his, quod apte, accomodateque transferri nequeat, immo non debeat ad antiquos illos justos, speciatim vero ad Evangelicum Pauperem, cujus post mortem conditio ab Hilario hic describitur; ergo vel ex illo testimonio non probatur Hilarii sententia de prompta nunc beatitudinis retributione pro animabus justorum, vel ex illo etiam efficitur, Lazarum, & antiquos Sanctos, non expectato Reparatoris nostri adventu, in beatorum hæreditatem fuisse admissos. Primum contra Theologos est, & obest nonnihil causæ Catholicæ, cum de aliis etiam Patribus idem institui possit argumentum; alterum vero contra receptam tantum in Scholis opinionem est; juvat ergo postremum amplecti. Et re quidem vera, I. aperte probatum habemus Evangelica narratione, e corpore decedentes confestim vel pœnæ, vel beatitudinis regione excipi, quemadmodum contigit Evangelico Diviti, & Lazaro. II. Habemus de Lazaro disertissime pronunciatum, quod ab Angelis *in sedibus Beatorum*

rum, *& in Abrahæ sinu* fuerit locatus. III. tandem habemus, justos quoslibet in particulari judicio Lazari exemplo recipere *beatitudinis retributionem æternam*. Habemus ergo tria illa, quæ de justis novi Testamenti prædicata certissimo indicant eorum felicitatem, & beatificam divinæ essentiæ visionem. Necesse est igitur, ut iisdem tribus ex capitibus inferamus, Lazarum quoque, & cæteros veteris Legis optimos viros statim a morte fuisse ex Dei præsentia lætatos.

15 Planum, ni fallor, expeditumque maxime argumenti genus hoc est: juvat tamen firmioribus illud munire præsidiis. Et primo quidem audias velim Sanctum Episcopum commune illud tritumque principium a Theologis adhibitum (§. 13.), ejusdemque verbis supra descriptum (§. 12.) hunc in modum confirmantem tract. in psal. 57. n. 5. *Neque enim suspenso adhuc judicii tempore, quiescere peccatores sine pœna erat dignum: viventes itaque eos cum pœnæ scilicet sensu absorbet ignis, etiam antequam resurgant ... Ante resurrectionem carnis vivens absorbetur ad pœnam anima ejus, secundum divitem Evangelicum puniendа, quæ vivens sit*. Habes hic quoque generatim ab Hilario pronunciari, indignum Deo esse, quod peccatores suspenso judicii tempore abire permittat sine pœna, idque probat exemplo divitis Evangelici, quem statim mortuum pœnæ regio excepit. Atqui hoc ipsum ex Theologorum sententia significat dignum non esse, ut suspenso judicii tempore manserint sine gloria antiquorum Patriarcharum animæ: tum quia generale est Hilarii proloquium, alterique respondet (§. 12.), *æquam* scilicet *judicii cælestis, & justam moderationem esse, ut peccatores morte conficere, ita & justos lætitia munerari*; tum quia diviti ad pœnam damnato immediate subjicit Lazari exemplum *in sinu Abrahæ requiescentis*, & ob id maxime lætantis, quod se *in æternam requiem deductum* aspiceret, dum interea impium divitem in pœnis manentem cernebat: unde ait proximo num. 6.: *Sed inter hæc justi cujusque, tanquam Lazari in sinu Abrahæ requiescentis, lætitia monstratur ... Lætitia justi est, cum viderit vindictam; quia peccatoribus puniendis, deductum se per Angelos* IN ÆTERNAM REQUIEM *lætatur*. Ergo ex hoc Hilarii argumento opportune colligitur, Sanctis animabus N. T. æque ac antiquioribus justis æternam requiem fuisse redditam, & modo red-

reddi: argumenti enim fundamentum æquo jure militat pro utrisque legis Sanctis animabus.

16 Ad hæc: confirmat passim alibi Hilarius, quæ de Lazari statu splendidissimis, amplissimisque vocabulis eo in testimonio pronunciaverat. Nam in psal. 118. lit. 18. num. 10. *Æterna Dei testimonia Lazarus pauper expectat*, *&* Abrahæ sinu *continetur*, *& miseriam vitæ laboriosæ* BEATÆ QUIETIS HONORE *demutat*. Et in psal. 122. num. 11. *Idcirco anima ejus ab Angelis post carnis dissolutionem* BEATA *in Abrahæ sinum fertur*. Et in psal. 57. n. 6. lætitiam fuisse Lazaro dixerat, quum divitem in pœnis aspiciebat. *Quia deductum se per Angelos* IN ÆTERNAM REQUIEM *lætatur* (3). Splendidioribus ne verbis potuit ab Hilario des-

(3) Ad *quietis*, *&* *requiei* vocabula tam sæpe, tamque magnifice ab Hilario de Lazaro usurpata, ut afferatur attentio, vehementer exopto, cum exinde plurimum roboris, ac lucis argumento accedere, facile intelligam. Ac primo satis jam superque a Theologis, præsertim a Cl. Muratorio *De paradiso* &c. cap. 4. confectum est, *Requiem*, *&* *requiescere* in sacris litteris, & apud Patres significare felicem, tranquillamque ex Dei visione vitam justis jam collatam; eandemque hac de re Hilario fuisse mentem egregie demonstrat *ibid.* cap. 12. Si ergo tam familiare & solemne est nostro Episcopo, *quietis* nomine felicitatem, tranquillitatemque vitæ designare ex Dei adspectu profluentem, quid impedimento nobis erit, quo minus *quietem* illam & *beatum*, *&* *æternam*, quam Lazaro statim a morte adscribit, & quam pluribus sæpe commendat, eadem interpretatione donemus, velimusque solidam cum Deo beatitudinem significare? Deinde quæ de *quietis* indole, ac natura generatim habet Pictavorum Magister ejusmodi sunt, ut apertissime commonstrent, eum a divinæ essentiæ visione removere minime potuisse pauperem Lazarum *beatæ quietis honore* a die obitus insignitum, & *in æternam* statim *requiem* deductum. De quietis porro indole, & essentia ita eum scribentem audias in psal. 14. n. 4. *Quies vero non interpellatur extrinsecus, sed otium est juge, molestia carens, quod in statu suo maneat. Cæterum si inquietudo se misceat, otii & naturam, & nomen amisit*: Et extremo num. 5.: *Quiescitur autem, quia nullus sit ex infirmitatibus dolor, nullus ex inopia metus; sed omnibus firmitate sua per virtutem æternitatis utentibus, in his sit, extra quæ nihil indigeant quiescendum*. Compone hæc, si potes, cum molestia illa gravissima ex divini conspectus jucundissimi privatione, & cum dolore ex dilatione gloriæ, quam inflammato Lazarus studio in sinu, complexuque Abrahæ commorans præstolabatur. Do equidem magnam illi suppeditari debuisse oblectationis, & gaudii copiam ex firma omnino, ac stabili spe Dei aliquando tandem videndi, & perfruendi. At dissimulari nequit, suam pœnæ, quam damni dicunt, acerbitatem stetisse, magnitudinemque, ita quidem ut dolere, mærere, tristarique debuerit pauper ille Lazarus, eo quod nondum summi boni possessionem inierit. Quæ cum ita sint, quies certe vera nullo modo dicenda ea est ex Hilarii sententia. At veram de Lazaro *quietem* indicat Hilarius, cum & absolute, & magnifice de illa loquatur, cum etiam illam & *beatam* vocet, & *æternam*. Removit ergo a Lazaro *molestiam* quamlibet, *inquietudinem*, *& dolorem*

describi vera, ac proprie dicta Lazari beatitudo statim ab obitu? Jure ergo merito, atque optimo usurpavit Tournelyus, Pictavorum Episcopum celebri illo testimonio indicare, divitem Epulonem, & Lazarum sine mora statim judicatos fuisse, & hunc *gloriam*, illum vero debitam pœnam reportasse. Alioqui necesse est, ut nuncium dicant Theologi iis omnibus, quibus conati sunt hactenus demonstrare, Hilarium contra Millenarios pro Catholica sententia constanter pugnasse.

17 Quibus artibus argumenti hujus vim, ac pondus nitantur contrariæ sententiæ Theologi evertere, nedum imminuere, difficile mihi non est divinare. Existimo enim argumento ex generali illo principio desumpto, ipsismet Hilarii verbis expresso (§. 12.) obviam eos ire, respondendo, iis quidem aptandum illud esse temporibus, quæ Christi mortem subsecuta sunt, redemptionis nempe & gratiæ, referri vero nullo modo posse ad Legis tempora, cum nempe impedimento vel maximo retinebantur piorum animæ a celestis beatitudinis possessione. Pœna quippe, ajunt, peccato debita fuit, ut ejiceremur a Dei conspectu quam longissime, nec oppetita morte in cœlum tanquam in patriam remigrare possemus. Hinc Adamus, ejusque filii ab illo voluptatis, ac deliciarum horto expulsi, ac deturbati sumus, collocatusque præ foribus Angelus, qui flammeo stricto gladio humanum genus a Paradisi aditu atque vestibulo prohiberet. Quæ sane res designabat nemini cœli portas patere, neminem in bonorum cœlestium possessionem post discessum a corpore posse involare. Hæc igitur propter peccatum inflicta hominibus pœna est; pœnam autem peccato debitam dependit in Cruce Christus, qui assumpta carnis imbecillitate, infinitam sustulit ejusdem peccati vim, & delens,

lorem, atque idcirco voluit, eum solidæ beatitudinis possessionem adiisse. Ad rem quoque maxime faciunt, quæ de animæ defectione ob expectationem boni futuri sapientissime Hilarius noster pronunciet tract. in psal. 118. lit. 11. num. 1. & 2. Hæc auctor sum, ut legas, ut exinde intelligas, quantæ esse Lazaro debuisset mæror, luctus, angorque animi, si divinæ essentiæ intuitus dilatus ei fuisset usque ad Christi mortem.

Unum interim addo, quod se se mihi offert ex Tract. in psal. 62. num. 7. *Est enim & vita post vitam, quia in Abrahæ sinibus vivendum est, in quo Dei nomen* PAUPERIS QUIETE *benedicitur*. Quid porro sibi hæc volunt, nisi vivendum nobis post mortem cum Deo, ac donatis quiete, quæ Lazaro reddita est? Quemadmodum ergo *quies* nostra, ipso Hilario etiam aperte testante, ex Dei profluet adspectu, ita & quæ statim a die obitus pauperi est concessa.

lens, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, reconciliavit nos Deo in sanguine suo. Ante igitur quam pœnas lueret, seque unum pro salute omnium offerret, nec migrare in cœlum, neque adire, aut intueri Deum potuimus. Hæc, inquam, fortasse respondebunt Theologi, quibus quo minus hac in re resistam, impedit potissimum instituti argumenti ratio, quæ unice debet versari in Hilarii mente explananda. Dicam tamen: quid ad me de unius Hilarii sententia disputantem, si Theologi ceteri id genus responsionem usurpent, approbentque? Hilario hanc temporum distinctionem arrisisse efficiendum est. Demostrandum scilicet, voluisse Hilarium piorum Vet. Testam. animas in Dei conspectum tunc venire non potuisse ob labem illam hæreditariam, cuius pœnam necdum Christus actu persolverat. Probandum ex Hilario quoque est, cœlestis vitæ præmia deferri piorum animis non potuisse vi sanguinis, etsi nondum effusi, a Christo tamen præstituta die effundendi, quamvis vi ejusdem sanguinis effundendi hominibus condonarentur culpæ & flagitia, dareturque præterea gratia, qua & placerent Deo, & salutares possent suscipere, edereque actiones. Hæc, inquam, non supponenda gratis sunt, sed apertis Hilarii testimoniis evincenda, ut adversariorum stet firma & immobilis argumentatio.

18 Tantum vero abest, ut vel minimum hac de re vestigium deprehendi in Hilario possit, quinimo si ad examen revocare lubeat textus fere omnes, quibus amplissimum mortis Christi fructum nobis exhibet, eum potissimum recenseri noverimus, qui in mortis triumpho, corruptionis victoria, corporum tandem ad vitam restitutionem consistit, per quæ cumulatæ in cœlis beatitudinis anima & corpore efficimur participes. Rem juvat experiri pluribus hoc ad argumentum ob oculos positis Hilarii sententiis. Tract. in psal. 52. n. 3. *Dominus enim noster* AD DEBELLANDAM CORRUPTIONEM, *Verbum Caro factum est*. In psal. 55. n. 7. *Nam cum omnis caro redempta in Christo sit*, UT RESURGAT... *non tamen omnibus gloria, & honor est promissus resurgendi... Pro peccatoribus igitur* AD SALUTEM RESURRECTIONIS EST MORTUUS, *sed sanctificatos in sanguine suo salvabit ab ira*. In psal.67. n.21. *Proprius exitus mortis est Domini, quia assumptæ ab eo carnis hæc virtus sit, ut* NATURÆ NOSTRÆ CORRUPTIONEM *in gloriam cœlestem post exitus*

 mor-

mortis efferret. In psal. 68. num.14. *Cum mors, postquam in Deo esset grassata, desineret... qui per primitias ex mortuis ab hominum genere* MORTE DEPULSA, *in auctores æternæ mortis pœna decreta est*. Et num. 23. Adamum de Paradiso ejectum ait, *ut naturam corporis ejus Adam e cœlis secundus assumens, parique morte percussus*, EAM (naturam scilicet corporis) *rursus in vitam æternam jam sine pœna æternitate revocaret*. Lib. 1. de Trinit. n. 13. *Ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut* AD IMMORTALITATEM *una cum eo excitaremur ex morte*... *dum immortalis ipse, neque morte vincendus, pro morientium æternitate moreretur*. Idque passim alibi. Quæ omnia aptissime efficiunt, tum nullibi traditum fuisse ab Hilario, quod piorum animi in Vet. Test. a cœlorum regno removerentur ob originalem noxam, tum etiam consuevisse Pictavorum Episcopum tanquam potissimum reparationis Christi effectum pluribus commendare beatitudinis æternæ consummationem, ac cœlestis gloriæ plenitudinem, qua una cum corpore donandus est animus. Supponit igitur inchoatam Sanctorum beatitudinem. Cum ergo demonstrari nequeat ex Hilario, pœnam peccato debitam fuisse, ut ejiceremur a Dei conspectu, nec nisi oppetita morte in cœlum redire possemus, satis superque apparet, ad rem non esse, quod Theologi vel ex aliis Patribus, vel etiam suis ex principiis desumunt ad Hilarii explicandas sententias. Est enim Hilarius per Hilarium explicandus. Itaque firmum manet, quod proposueram, nimirum, argumentum primo loco volatum æquo jure favere N. T. animabus Sanctorum, & antiquioribus Veteris Legis.

19 Alterum, quod regerunt, ex notione sinus Abrahæ deduci solet. Opinantur scilicet, sinui Abrahæ non eandem semper rem Ecclesiam & Patres subjecisse; sed nunc aut cœlum designasse ac notasse, aut Sanctorum hominum cœtum, quos suo Deus adspectu lætificat, aut demum opportunum aliquod animarum diversorium, in quo illæ ad tempus commorarentur expectantes beatæ illius spei consummationem, ex qua spe magnum gaudium percipiebant. Idque ex ipso constare volunt Hilario, qui, ut piorum animos ante Christi profectionem ad inferos a Dei præsentia removendos putaverit, eisdem postea videndi Dei potestatem facit.

20 At, quidquid sit de cæteris Patribus, in quorum sententias inquirere nec animus mihi est, nec institutæ patitur disputa-

tio-

tionis scopus, nego plane, non eamdem semper rem Pictavorum Episcopum intellexisse per sinum Abrahæ. Quid enim eo nomine significaverit Hilarius, ex iis colligi debet vocabulis, ac verborum additamentis, quibus vel sinum illum describit, vel eorum, qui ad eundem divertunt sinum, exequitur felicitatis statum. Atqui sinum Abrahæ, vivendique genus ibi commorantium iisdem semper locutionibus proponit, nec amplioribus, aut significantioribus alibi unquam utitur: Idem ergo per sinum Abrahæ constanter notavit Hilarius. Profecto si diversam aliquando notionem ei sinui Hilarius subjecisset, voluissetque interdum indicatum locum tantummodo quietis, & otii, interdum vero locum cœlestis beatitudinis in Dei visione sitæ, id potissimum apparere deberet ex iis testimoniis, quibus de sinu Abrahæ loquitur comparate ad Lazarum, qui in eum locum statim a morte delatus perhibetur: atqui amplissimis tunc maxime utitur phrasibus, loquendique formulis, iisdem nempe, quas solet adhibere, dum loci meminit, statusque animarum beatarum in Novo Testamento: Quid enim est, Lazarum *in sedibus Beatorum confestim* locari?. quid *beatitudinis retributione æterna* insigniri? (§. 9.), quid miseriam vitæ laboriosæ demutasse *Beatæ quietis honore*? quid in sinum Abrahæ deferri animam Lazari *beatam*? quid tandem deductum Lazarum per Angelos *in æternam requiem*? Constat ergo Hilarium non alium in sensum usurpasse *sinum Abrahæ*, etiam ubi de Lazaro agit, quam in eumdem illum, quem vulgo adhibet de cæteris Sanctis Novi Testamenti.

21 Movere adversarios magis debent, quæ sapientissime disputat Cl. Muratorius l. cit. cap. 12. Cum enim Burnetus *Sinum Abrahæ* in insomnii sui traheret ædificium, quasi per has voces carcer ille designatus fuerit, in quem dormitantes conjecit justorum, simulque & injustorum animas, totus in id incumbit Muratorius, ut efficiat, *Sinum Abrahæ* acceptum a Patribus fuisse ad indicandum locum Beatitudinis inchoatæ, imo prægrandis, cui scilicet per corporum resurrectionem nonnisi plenitudo, seu perfectissimus gloriæ cumulus debeat superaccedere. Rem præsertim demonstrat ex Hilario, in cujus sententia sinum Abrahæ idem esse cum regno cœlorum disertissime probat. Probat autem testimoniis illis (§. 9. 16.) supra adductis, in quibus sermo est de sinu Abrahæ respectu Lazari: Testimonia igitur illa, fatente ipso Muratorio, non aliud si-

gnificant per *Abrahæ sinum*, quam cœlorum regnum, & beatæ visionis possessionem. Cumque nullus sit alius apud Hilarium locus, in quo diversa hujus vocis significatio tradatur; consequens inde est, Pictavorum Episcopum per sinum Abrahæ idem semper, constanterque intellexisse.

22 Quod vero additum est (§. 19.), duplicem nempe *Sinus Abrahæ* notionem ex ipso etiam constare Hilario, qui ut piorum animos ante Christi profectionem ad Inferos a Dei præsentia removendos putaverit, eisdem postea videndi Dei potestatem facit; id, inquam, hujus loci non est, revocare ad examen: in altera porro dissertationis parte operam collocabo meam, ostendamque, Pictaviensis Episcopi testimonia, quæ tanquam apertissima opponuntur, non eum præ se ferre sensum, quem Theologi Sapientissimi eis adscribunt.

23 Animadvertam interim, difficiliori opus non esse negotio ad reliqua labefactanda, quibus per me hactenus illustrato argumento occurrere tertio loco possent. Si videlicet addant, Hilarii dicta intelligenda esse apte, accommodateque ad personas, & tempora; hoc est accipienda de beatitudine, sive de præmiis non re quidem ipsa, sed spe stabili, ac certa adeptis; non quod Deum e vestigio Lazarus adierit, atque inspexerit, sed quod in sinum Abrahæ receptus sit, ubi interim lætabatur, gaudebat, habebatque oppetitæ mortis solatia, suo deinde tempore cumulatæ ejus beatitudinis, quæ Dei adspectu efficitur, possessionem aditurus: hunc in modum veram beatitudinis retributionem, & requiem Lazaro datam esse, sed accommodatam & loco, & tempori: vel fortasse etiam probabilius non ad diem, quo Lazarus obiit, referri oportere, sed ad tempus, quo beatitudinem iniit, quæ ei tamen beatitudo statim ab obitu debebatur, impedimentis remotis.

24 Quæ si ita se habent, actum omnino est de iis Theologorum laboribus, assiduis quidem, ac multo diligentissimis, quibus conati sunt hactenus componere Hilarii sententias, quæ nonnihil difficultatis præ se ferre videbantur, cum Florentini, Tridentinique Conciliorum definitionibus. Desinant Theologi Hilarii opera susdeque vertere, ut ex Pictaviensi Magistro testimonia congerant ad asserendum, piorum animabus, statim ac e vita migrant, Dei conspectum in cœlis concedi. Quascunque enim adu-

duxerint illi sententias ex Galliæ Episcopo; præsto erunt Burneti gregales, qui interpretationem ab adversariis mutuantes, eas omnes apte accommodateque ad personas & tempora intelligendas esse, totis viribus contendent. Opponant quidem illud in psal. 64. n. 6. *Beati quidem sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt: sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est, operationibus id, atque orationibus expectantes*. Opponant alterum in psal. 65. n. 23: *Per hæc itaque genera pœnarum Martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt: ut in Dei domum, idest in cœlestis domicilii habitatione consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent*. Opponant tandem, ne infiniti simus in singulis recensendis, Hilarii sententiam esse in psal. 119. n. 1. *Christi consortium mortem acquirere*, & alia id genus plura. Hisce omnibus facile occurret novus aliquis nostræ ætatis Burnetus, docebitque, sententias hujusmodi accipiendas esse potiori jure (illæ enim, quæ Lazarum respiciunt, de præterito tempore, relateque ad obitum sunt usurpatæ; hæ vero indefinitæ sunt, nullique alligatæ tempori) de habitatione in Dei tabernaculis, ac cœlesti domicilio, de consortio beatitudinis & Christi, de cœlorum regno, ac felicitate, non re quidem, sed spe stabili ac certa adepta; vel fortasse probabilius non ad diem obitus esse illa referenda, sed ad tempus, quo beatitudinem sunt inituri, quæ eis tamen beatitudo statim ab obitu deberetur, impedimentis remotis; impedimentis, inquam, non hæreditariæ labis, sed carnis corruptionis, qua carne nonnisi per resurrectionem incorruptibili effecta, & immortali, animæ beatæ esse non possunt.

25 Fac porro, ut ita respondeant hæretici. Quid ad hæc Theologi? Provocabunt ne sectarios ad splendidissima illa *beatitudinis* vocabula, *regni cœlestis, habitationis in cœlestibus tabernaculis, consortii Christi &c.*? At illi quoque amplissima æque ac splendidissima proferent vocabula *sedium Beatorum, æternæ requiei, beatitudinis retributionis æternæ &c.* (§.9.& 16.), quibus Lazari statum statim a morte Hilarius describit. Provocabunt ne Theologi ad ejus generis particulas, ac phrases, quæ justorum animas, ubi primum e corpore evadunt, non subobscure significant æternas consequi voluptates? Verum & illi ejusdem generis particulis, ac loquendi formulas ob oculos nobis ponent. Ait siquidem Hilarius, primo,

ani-

animam Lazari *post carnis dissolutionem* beatam in sinum Abrahæ fuisse ab Angelis transvectam: quid autem est *post carnis dissolutionem*, nisi ab ipso die obitus? Secundo, *in æterna* fuisse Lazarum *requie*, cum Dives flammis undequaque percussus se se illi spectandum exhibuit: exhibuit se autem Dives Lazaro statim a morte, fratribus nempe adhuc in supernis manentibus: Tertio demum, eundem illum Lazarum demutasse ait vitam hujus sæculi laboriosam *beatæ quietis honore* (§.16.); quæ phrasis suapte natura, ac ingenio unicum illud temporis refert momentum, quod Lazari discessum ex hac vita immediate subsecutum est, seu quo beata ejus contigit dormitio. Provocabunt ne demum Theologi ad alias Hilarii locutiones, quibus piorum animas ante Christi profectionem ad inferos a Dei præsentia removit Hilarius? Sed prætérquamquod obvium eis erit efficere, nullibi Hilarium nec diserte, nec subobscure sanctos illos subduxisse ab eo vitæ genere, quod gaudiis resonat, & deliciis ex Dei conspectu profluentibus, ea insuper ex Hilario colligent, quæ dilationi gloriæ usque ad universalis judicii diem videntur quam maxime favere, & quæ Muratorio ipsi occasionem aliquando obtulerunt suspicandi, Galliæ Magistrum non semper fortasse hac de re optime sensisse (§. 2.). Quodsi hæc secundum Catholicam definitionem se se explicaturos polliceantur Theologi: illi pariter exitu non plane infelici idem præstabunt. Paucis: Argumentum hunc in modum instituo. Hilarius de statu Lazari statim a die obitus easdem adhibet sententias, phrases, loquendique formulas, quibus utitur loquens de justis N. T. ex hac vita exeuntibus. Atqui priores illæ loquendi formulæ firmæ sunt ac ratæ ex adversariorum sententia, quamvis potitus Lazarus confestim non sit Dei pulchritudine, & divinæ essentiæ possessione: Ergo a pari etiamsi Sanctorum animæ statim æterna gaudia non re ipsa consequantur, locum tamen habent eædem illæ locutiones, quibus tantopere confidunt, & confisi sunt omnes de Schola Theologi.

26 Maximam huic argumento inesse vim neminem puto dissimulaturum, ita quidem, ut ne causæ Catholicæ detrimenti aliquid inferri videatur, ad rem magis est, statuere, Hilarium agnovisse etiam pro justis Vet. Testam. eum beatitudinis statum, qui Dei efficitur visione, quam eo rem deducere, ut a perenni illa constantique Ecclesia traditione, subducatur Hilarii auctori-

ritas, præsertim contra Theologorum omnium suffragium, qui, quo minus laborarunt in eruenda Pictaviensis Doctoris mente de piorum in sinu Abrahæ beatitudine, eo magis versati diligentissime sunt in asserenda, stabiliendaque Ecclesiæ definitione testimoniis ab Hilario desumptis. Quinimmo non solum Hilarii, sed plurimorum veterum Patrum hoc in dogmate concideret auctoritas. Si enim illorum plurimorum textus cum his conferantur, qui de Lazaro, deque justis quibusvis Vet. Testam. apud Hilarium occurrunt, ejusdem hi sunt conditionis, & indolis, æque aperti, ne longe etiam significantiores dicam, ac splendidores; ut proinde, quod superiori paragrapho efformavi de Hilario argumentum, aptari facile possit & aliis pluribus Veteribus Patribus; quod certe sine aliquo traditionis illud dogma respicientis detrimento esse nequit.

27 Absit vero, ut ad hæc declinanda incommoda adoptandum quis sibi putet extremo loco effugium illud in eo situm, quod Hilarius amplioribus, quam par esset, vocabulis rem exornaverit, Rhetorumque more felicitatem Lazari statim ab obitu, qua phrasibus, qua figuris, qua demum sententiis plus justo auxerit, grandioremque effecerit. Absit, inquam, a Theologorum animis tam imprudens consilii genus. Quid enim impediet, quo minus & hæretici iisdem utantur armis ad Catholicam vexandam, depugnandamque doctrinam de mortuorum statu post Christi mortem? At novimus revera eos sæpe numero ita fuisse argumentatos. Lege, quæ Burnetus inique hac de re pronunciavit ad Veterum Patrum dicta liberius, sublimiusque loquentium de intermedia piorum beatitudine cum suæ opinionis commento concilianda. *Oratores*, inquit, *inter perorandum sæpe incalescunt aliquantulum, neque singula verba in aurificis statera ponderant. Quumque sermones populares, aut orationes funebres adornant, multæ sunt causæ, quæ perorantem incitare possunt ad exaggerendam felicitatem mortuorum in Domino, nullæ vero ad diminuendam præter ipsius veritatis conscientiam*. Lege, quæ & Dallæus generatim habet l. 1. *de usu Patrum* cap. 5. de variis Rhetoricæ, & Dialecticæ artificiis, quibus utuntur Patres, ex quo inde infert, difficilimum esse germanam Patrum mentem percipere, eorumque sententiarum veram assequi significationem. Impudentissime, perditissimeque dicta hæc quis denegabit? Sciant tamen Adversarii, hæc illis suppeditari

ri

ri momenta, quotiescunque afferatur, Patres abundaffe nimis in exprimendis Lazari, cœterorumque Patriarcharum in sinu Abrahæ ante Christi mortem commorantium, voluptatibus, bonisque immortalibus. Sciant præterea non longe a vero abesse Petri Coustantii Maurini Monachi conjecturam opinantis *in Admonit. prævia* num. 23. Hilarii in psalmos tractatus *primum ad populum recitatos, ac deinde, nonnullis mutatis, in unum Commentariorum volumen collectos, atque editos fuisse:* quo sane posito exaggerationis inter perorandum suspicio procul est amandanda. Sciant demum, me ad vocabulorum eruendam vim, potestatemque uti maxime orationis contextu, & S. Doctoris scopo, quem ejusmodi esse contendo, ut rem ipsam amplissimis expressam vocabulis debeat omnino designare.

28 Et sane Hilarii scopus unus idemque est sive Tract. in psal. 2. num 48, cujus verba alibi (§. 9.) descripsi, sive in psal. 122. num. 11. ubi idem argumentum repetit Hilarius. Probat scilicet, Deum in altera vita *in controversum omnia retorquere, & quamdam vicissitudinem præstare patienti*. Ad id vero conficiendum Evangelicam assumit narrationem hunc in modum. *Testis nobis est pauper in Abrahæ sinu quiescens, & dives perustus in pœna. Ille enim in aggestu fimi ante divitis januam, fame tabidus, ulcerum sanie defluens sederat, canibus vulnera dissoluta lingentibus... Interius tamen anima ejus per fidem invulnerabilis, & ad omne telum voluptatis ac vitia invia: & idcirco ab Angelis post carnis dissolutionem beata in Abrahæ sinum fertur. Ille vero, cui omnis erat vestitus in purpura, cui totius civitatis nobilitas gravi dominatu subdita famulabatur, cui aeris, terræ, maris copiæ in usum convivii congerebantur... excedens hoc, quo male usus erat, corpore, & impenetrabili a sanctis chao separatur, omni pœnarum ministerio excipitur, dolet, vexatur, amburitur, irrorari se ac refrigerari minimo digito requiescentis in sinu Abrahæ pauperis deprecatur..* FIT ALTERNA CONVERSIO, *& demutatur lætitia in mærorem, & mæror in gaudium*. Sortem hic nempe contrariam describit Hilarius, quam consecuti post mortem sunt Lazarus, & Dives: beatam ille, quatenus per alternam conversionem mœror ejus *in gaudium* est demutatus: miseram alter, quatenus in pœnis urebatur, quatenus omni pœnarum ministerio exceptus, dolebat, vexabatur &c.

Ex

Ex quo inde colligit num. 13. *Demutabilis est ista Conversio, & digna in bonos, ac malos vicissitudo*. Atqui nec alternam vere conversionem, nec dignam in bonos, ac malos vicissitudinem indigitasset Hilarius, nec Lazari statum per oppositionem ad statum Divitis apte descripsisset, nisi Lazarum considerasset, aut spectandum praebuisset tanquam solida beatitudine donatum, quae ex Dei efficitur adspectu, in quo tantummodo verum est gaudium, laetitia vera, vera demum quies & felicitas: Unde apposite Petrus Chrisologus *serm. 66. Recipit* (Lazarus) *pro doloribus* REQUIEM, *pro opprobrio* GLORIAM, *pro contumeliis* HONOREM, *pro despectu* GRATIAM, *pro poenis* IMMORTALITATEM, *pro vulneribus* PROEMIA, *pro siti* REFRIGERII FONTEM, *pro fame* COELESTIS MENSÆ DELICIAS SEMPITERNAS, *& quem divitis angulus non cepit*, SINUS DIVINÆ CONSOLATIONIS *includit*. Verbis igitur *quietis*, *Beatitudinis*, *retributionis aeternae*, *gaudii &c.* ab Hilario de Lazaro usurpatis non alia vis subest, potestas, ac notio, quam quae apta sit significando statui quietis, ac gaudii, qui opponatur statui aeternae damnationis iniquo illi diviti redditae. Significant ergo veram solidamque beatitudinem, ex Dei fruitione atque adspectu manantem. Atque haec satis sint de praecipuo dissertationis meae argumento: caetera nunc prosequar.

29 Est autem alterum, quo uti soleo, momentum ex iis deductum, quae de Regio Propheta Davide passim habet noster Hilarius. Tract. porro in psal. 119. in illud: *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est*: hunc in modum scribit num. 10. *Convenit igitur, Prophetam expectantem post sagittas Domini, & illos carbones desolationis* BEATI ILLIUS REGNI, ET ÆTERNI TEMPORIS GLORIAM, *id, quod expectat, desiderare. Et desiderat plane. Neque solum desiderat, sed moras odit, & ipsam illam non potiendi jam desiderii tanti dilationem, dicens*: Heu me! quod incolatus meus prolongatus, est: *Querelam istiusmodi a plurimis Sanctis frequenter audivimus de tarditate spei suae morosam corporum dissolutionem deflentium: Dominus in Evangeliis suis accelerationem regni coelestis docuit orandam* ... Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua. *Paulus Beatus inhabitationem corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se a Deo conquerens. Quo contra peregrinandum in carne scit sibi esse,*

 ut

ut ei cum Deo sit incolatus : sed tamen melius ei esse dissolvi, & cum Christo esse . . . . . *In hoc igitur nimium sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit Propheta, festinans preregrinari a terrenis, & INCOLERE COELESTIA, ut derelictis corruptibilibus, atque præsentibus consequatur* INVISIBILIA, *&* ÆTERNA . Et tract. in psal. 142. idem ferme repetit num. 8. *Moras corpori sui Propheta non patitur : & secundum illud Apostoli*: Dissolvi me melius est, & esse cum Christo: *& illud*: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *& illud*: quia in hoc veteri tabernaculo congemiscimus desiderantes superindui: *tædium ipse in hoc mortis corpore patitur: sed velocitatem auxilii, quod ob defectionem spiritus deprecatur, cum gratia divini in se muneris optat expleri . Quid enim sibi prod:rit exauditum esse velociter, nisi fidelis, & Deo placens, &* BEATIS LOCIS *quieturus excedat e corpore?* Ex quibus sic argumentor : Qui docet Regium Prophetam *post corporis dissolutionem* expectasse *incolere cælestia, invisibilia* consequi *& æterna, beati illius regni, & æterni temporis gloriam, in beatis locis quietem* &c. qui docet illud Prophetæ: *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est &c.* conforme esse illi Dominicæ petitioni: *Adveniat regnum tuum*, illisque Paulinis vocibus : *cupio dissolvi, & esse cum Christo &c.* ille certe docet statim a morte fuisse eidem Prophetæ concedendam, veram beatitudinem, Dei præsentiam, profluentesque inde delicias: uno enim eodemque modo loquitur de utriusque Testamenti optimis piisque viris . Ita est de Hilario Pictaviensi . Ergo &c.

30 Et hic loci pariter duo illa locum habent, quæ alibi sedulo animadvertenda proposui: primo scilicet amplissima illa, splendidissimaque vocabula, quæ in duobus mox productis Hilarii testimoniis occurrunt, nempe *beati regni, & æterni temporis gloriam, accelerationem regni cælestis, incolere cælestia, consequatur invisibilia, & æterna*: secundo illæ formulæ loquendi, *post corporis incolatum, post peregrinationem a terrenis*, & illud maxime, *ut derelictis corruptibilibus, atque præsentibus consequatur &c.* Id enim genus vocabula, ut dixi, accommodata magis esse nequeunt ad Dei visionem indicandam, ac propredictæ beatitudinis possessionem, quam Davidi hic pollicetur Hilarius : Formulæ vero prædictæ suopte ingenio, ac natura non aliud sibi vo-

volunt, quam eum Prophetæ statum significare, qui ei erat futurus, ubi primum a carnis vinculis fuisset dissolutus. Sed & illud hic addere juvat, quod eodem de Propheta eleganter exequitur noster Auctor in psal. 118. lit. 3. num. 7. ad illud: *revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*: in quod hæc enarrat. *Scit mortalibus oculis, atque corporeis nubem obscuritatis obsistere. Scit, ea, quæ corporaliter in lege præcepta sunt, umbram esse, & speculum futurorum. Legem quidem legit, sed optat legis mirabilia contueri. Meminit sancta esse Sabbata; sed* IN ÆTERNORUM SABBATORUM REQUIE *esse desiderat. Utitur quidem azymis panibus: sed fermentum ejicere naturæ veteris festinat. Immolat Paschæ ovem: sed* ASSISTERE EI, *qui per Joannem revelatur*, AGNO *concupiscit... Induci quoque* IN TERRAM SANCTAM, *terram fluentem lacte & melle, tanquam totius hujus Orbis peregrinus orat:.. Hæc igitur legis mirabilia, quæ velatis oculis adumbrantur, Propheta orat, ut cernat: scilicet ut* CADUCO, ATQUE INFIRMO CORPORE ABSOLUTUS, *hæc, quæ per corporalem observantiam legis magna, & mirabilia* IN COELIS *præfigurantur*, ASPICIAT. En iterum voces amplissimas, *in æternorum Sabbatorum requie, in terram sanctam, mirabilia in cælis*, quæ veram, solidamque beatitudinem exprimunt, tum phrasim illam, *ut caduco atque infirmo corpore absolutus*. Lege quæ de Novi Testam. Martyribus habet Hilarius. Eadem sunt prorsus, ut ex paucis illis, quæ in medium sunt a me posita (§. 24.) facili colligitur negotio (4). David ergo

&

(4) Ad memoriam revocanda hic loci sunt, quæ alias scripsi (§. 26.), easdem nimirum, ne significantiores dicam, usurpasse Hilarium dictiones, loquendique formulas, ubi de Lazari sorte sermonem habet, deque felicitatis præmio a regio vate post mortem expectando, quas cæteri Patres usurparunt de Sanctis Novi Testamenti: ex quo inde efficiebam, vel sentiendum esse, quod Pictavorum Episcopus admiserit, antiquos Patriarchas statim a morte donatos fuisse Dei adspectu, vel asserendum, nullum suppetere argumentum, quo ex pluribus Ecclesiæ Patribus demonstretur, promptam nunc beatitudinis retributionem viris optimis reddi. Quamvis autem id argumenti genus ab oratione mea extraneum videri fortasse possit; ne tamen gratis me hæc excogitasse aliquis existimet, ad Justinum Philosophum & Martyrem causam deducam, in cujus nomine Millenariorum maculam diutius insidere passi non sunt præclarissimum Maurinæ Congregationis lumen Prudentius Mairanus in Præfat. ad Justini opera part. 2. cap. 12. num. I., Cl. Muratorius loc. cit. cap. 8. pag. 95, ac novissime Fassonius noster: *De piorum in sinu Abrahæ beatitudine* cap. 2. §. 21., aliique. Petunt hi autem argumenta I. ex eo quod Apolog. 1. num. 8. scribat: *Æternæ, ac puræ vitæ cupidos*

& orabat, & expectabat cœlestes delicias nulla interposita mora a die obitus, & has re vera ipsi promittit noster Hilarius. Ergo &c.

31 Peculiare vero hoc in argumento est vehemens illud, maximumque desiderium, quo tantopere commotum Davidem nobis exhibet Hilarius, immo ipsæ Divinæ Litteræ. Non enim a vero longe aberrabit, qui exinde collegerit, Regium vatem & cœlestia expectasse, & hæc re ipsa statim a morte obtinuisse. Quo sermo hic meus tendat, facile intelliget, qui sibi ad memoriam revocaverit tritum illud vulgatumque argumenti genus ab Angelico Doctore Aquinate usurpatum lect. 2. cap. 5. Epist. 2. Pauli ad Corinth., ubi in illa verba: *audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*: hæc sapientissime commentatur. *Confutatur per hæc verba error dicentium, animas Sanctorum decedentium non statim post mortem deduci ad visionem Dei, & ejus præsentiam, sed morari in quibusdam mansionibus usque ad diem judicii: Nam frustra Sancti auderent, & desiderarent peregrinari a corpore, si separati a corpore non essent præsentes ad Deum. Et ideo dicendum, quod Sancti statim post mortem vident Deum per essentiam, & sunt in cœlesti mansione*. Atqui prophetæ desiderium idem omnino est ex Hilario cum eo, quo excitabatur Paulus illa pronuncians, & cum eo etiam, quo nos clamamus quotidie: *Adveniat regnum tuum* (§. 29.). Ergo sicuti ex hoc

pidos ad domicilium cum Deo universorum Patre, & opifice promissum contendere: II. ex eo quod asserat num. 10. bonos adepturos, *ut cum eo* (*Deo*) *degant, atque una regnent corruptionis, & perpessionis expertes . . . Dei convictu, & consuetudine dignentur*: III. quia nisi totidem verbis, eadem certe quidem sententia, ac Paulus, tradit, cupere Christianos vincula carceris rumpere, & esse cum Christo. IV. quia ibid. num. 12. aperte docet, *unumquemque ad æternam sive pœnam, sive salutem pro meritis actionum proficisci*; & num. 20. *bonorum* (animas) *a suppliciis liberatas præclare* (seu *bene*) *se habere*: V. demum ex eo quod de Lucio Martyre abripi jusso ad tormenta hæc habet Apolog. 2. num. 2.: *At ille gratias etiam agebat, cum se ab improbis ejusmodi Dominis ad Patrem, ac Regem cælorum proficisci cognosceret*. Hæc ex Mairano. Atqui hæc omnia prædicat luculentissime Hilarius de Davide, ut manifeste efficiunt, quæ mox attuli (§. 29. & 30.), & quæ hic singillatim perstringere, supervacaneum duco. Ergo sicut argumentatione perquam probabili demonstratum ex illis esse, arbitrantur theologi præclarissimi, Justinum notari non posse de amota sempiterna beatitudine ab animis justorum ante supremum judicii diem; ita argumentatione perquam probabili confecisse me judico, Hilarium Pictaviensem de divinæ essentiæ visione Davidi, cæterisque Vet. Testam. Patribus, ac justis quibuslibet ante Christi migrationem ad inferos optime sensisse.

hoc prompta infertur a Theologis meritorum retributio, & divinæ essentiæ conspectus; ita ex eodem illo Davidis studio, flagrantique dissolutionis cupiditate colligi debet, æternam beatitudinis retributionem eum & expectasse, & consecutum re vera fuisse, statim ac e corpore evasit.

32 Verum neque D. Thomæ argumentatione opus mihi erat, cum Hilarius ipse eundem in modum argumentatus fuerit in psal. 142. num. 8. (§. 29.) hisce verbis. *Quid autem sibi proderit, exauditum esse velociter, nisi tanquam fidelis, & Deo placens, & beatis locis quieturus excedat e corpore?* Quæ vero beata hæc sint loca, indicaverat tract. in psal. 119. (§. 29.) dicens, desiderasse *accelerationem regni cælestis, incolere cælestia, consequi invisibilia, & æterna*. Et in psal. 62. n. 3. in illud: *sitivit in te anima mea*, rotundis inquit verbis. *Hoc animæ desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut* DEI *sibi proveniat* ASPECTUS (en Dei visionem); *ut quam primum raptus in nubibus Deo Christo obviam elevatus appareat* (en beatitudinis plenitudinem post resurrectionem obtinendam, quam a priori distinguit). Frustra autem, iterum dicam cum Angelico, frustra auderet, & desideraret Propheta peregrinari a corpore, si separatus a corpore non esset præsens ad Deum. Ex Hilario ergo optime sequitur, Davidem consecutum fuisse cœleste regnum ante Christi redemptionem, vi tamen sanguinis a Christo effundendi.

33 Quo argumenti genere eo libentius utor, quo magis aptum illud mihi videtur, accommodatissimumque ad infringendam penitus adversariorum rationem petitam ex maxima Sanctissimorum etiam Hebræorum producendæ vitæ cupiditate, moriendique metu quam vehementissimo; quæ duo non aliunde dimanasse volunt, quam ex beatitudinis dilatione. Hebræi scilicet, ajunt, & in his viri quoque integerrimi, sanctissimi, optimi mortem plurimum metuebant; nunc autem mors metum non affert: illi suorum, qui mortui essent, vicem vehementer dolebant; nostri non dolent, certe quidem vetamur a Paulo: hinc in illis non mediocris producendæ vitæ cupiditas; nostri, quod cuique tempus ad vivendum datur, eo sunt contenti, cogitantes breve tempus ætatis satis esse longum ad bene, honesteque vivendum. Est hoc autem argumento firmissimo, piorum olim animos non statim a morte in Dei conspectum venisse. Hæc porro conciliari nullo modo posse video

cum

cum iis, quæ ex Hilario supra recitavi pluribus commendante, Davidis desiderium de corporis sui dissolutione, ac peregrinatione a terrenis, ut cœlestia, invisibilia, & æterna consequeretur. (5)

34

(5) Argumentum hujusmodi labile esse, ac perquam infirmum, facili negotio demonstrari potest. Ac primo quidem rogatos volo, qui in opposita versantur sententia, ne illud nimis urgeant. Etsi enim veteribus Patriarchis aliquid esset incommodi ex privatione divinæ visionis; attamen, præterquamquod ab omni pœna sensus erant penitus immunes, sua insuper habebant oblectamenta, & solatia servitutis, aliqua utebantur felicitate, uno verbo, tot eia eis erant voluptatia fontes, ac deliciarum, ut futuræ illius vitæ gandia præsentis sæculi tædia longo post se intervallo relinquerent. Quemadmodum ergo alteram vitam justus quilibet præsenti antefert, licet purgatorji ignem sibi perferendum ut plurimum præsentiat, ubi scilicet & gloriæ dilatio maxime vexat, & magnopere torquet pœna sensus: multo magis illi. Non ita se res habuit ex adversariorum argumento: sequitur ergo, animas Patriarcharum in sinu, complexuque Abrahæ detentas, tristiore fuisse in statu, ac modo sint piorum animæ in Purgatorio. Quod certe adversariis arridere nequit, quinimmo absurdum est maximum.

Præterquamquod non unum vel alterum, sed innumera propemodum suppetunt Sanctorum Vet. Test. exempla, qui vel inflammato mortem studio optarunt, vel illa æquo animo, lubentissimeque pertulerunt. Habemus Moysem Num. 11. 15. ita precantem: *sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me . . . ne tantis afficiar malis.* Habemus David modo clamantem 2. Reg. 18. 33: *quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalon fili mi?* modo flentem morosam corporis dissolutionem psal. 6. v. 4. *Et tu Domine usquequo? Convertere Domine, & eripe animam meam.* Et psal. 119. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*: modo futuræ vitæ gaudia exoptantem psal. 41. 2: *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Habemus Eliam 3. Reg. 19. 4. mortem petentem: *sufficit mihi Domine, tolle animam: neque enim melior sum quam patres mei.* Huc tendunt, ducente Hilario in psal. 119. num. 11. & 12., verba Ecclesiastici 4. 2. *& laudavi omnes, qui mortui sunt, super omnes qui vivunt usque nunc*: verba Jobi 3. 3: *pereat dies ille, in quo natus sum, & nox, in qua dixerunt: Ecce Masculus natus est*: verba demum Hieremiæ c. 20. 14: *maledicta dies, in qua genitus sum; maledictus vir, qui annunciavit patri meo, & dicens: quia natus est tibi masculus:* in quæ Hilarius loc. cit.: *non conceptus, nec figurationis suæ ortum, sed enim qui ex incremento accessit profectum editi corporis congemiscit, in quo sibi in malis sæculi, & infirmitatibus carnis, vitiisque vivendum sit.*

Ad hæc: Jobum, & Abrahamum filiorum mortem læto animo passos fuisse, nos docent divinæ litteræ; atque hinc factum est, ut Chrysostomus homil. 5. in illud 1. Thessal. 4. 13. *de dormientibus* num. 4. exemplia Jobi, & Abrahami ad filiorum jacturas æquiore animo ferendas, populum cohortaretur. Accedit demum suos & Veteri Testamento fuisse Martyres, Machabæos scilicet fratres cum Patre Eleazaro, & Matre; eos quoque fuisse, qui pro patriis legibus ad interitum ruere volontarium non dubitarunt &c. Ex quo sic argumentor. Ideo colligitur, annuentibus adversariis, Patriarchas illos, & Antiquos justos in inferos descendisse Dei adspectu privatos, nostros vero viros optimos ac sanctissimos in cœlestem venire beatitudinem statim a morte, quia illi mortem plurimum metuebant, isti vero bene adversus mortem animati sunt: Atqui ex dictis

neu

34 Accedunt quoque alia Hilarii testimonia; quæ ad Davidem referuntur. Ex pluribus autem duo seligo, utrumque ex Tract.

nec mors illis multum attulit metus, nec suorum qui mortui essent, vicem vehementer doluerunt: nec vero desunt in Novo Testam. viri quoque integerrimi, sanctissimi, optimi, qui mortis metu trepidaverunt, qui in persecutionibus fugam arripuerunt ad declinanda mortis pericula &c. Ergo &c. Quid si quis mortem timeat ex innata cuilibet propensione, qua fugit unusquisque mortem veluti sui dissolutionem? Nihil sane vitii in hoc est. Immo metum hunc experiri voluit ipse Christus ad consolationem suorum, qui & illum essent experturi. Audi Augustinum Serm. 297. alias 107. de diversis cap. 2. num. 3. *Consolatur Dominus, transfigurans in se infirmitatem nostram, & dicens*. Tristis est anima mea usque ad mortem ... *Utique natura refugit mortem. Intuere omnium animalium genus, nullum invenies, quod nolit vivere, quod non timeat interire. Habet istum sensum genus humanum. Dura est mors: sed non, inquam, quia mors est dura, ideo neganda est vita. Petrus etiam senex nolebat mori. Mori quidem nolebat, sed Christum sequi malebat*. Audistis Christum mori timentem ad humani generis consolationem? Audistis item ex Augustino Petrum mori nolentem?

Sed in his, de quibus plura haberem, quæ adderem, diutius non immorabor. Animadvertam interim ex Veterum justorum cupiditate producendæ vitæ, mortis metu, luctu, egritudineque minus accurate inferri, eos non statim a morte in Dei conspectum venisse: venire tamen nostros, quia, quod cuique tempus ad vivendum datur, eo sunt contenti, nec tam vehementer dolent vicem suorum, qui mortui sunt. Aliam porro a Chrisostomo assignatam deprehendo rationem, in eo generatim sitam, quod illorum metus, ac dolor ex defectu certæ resurgendi spei manaverit, ex qua resurrectionis spe certissima dolore illo ac metu nos plurimum levamur. Chrisostomus sane homil. 5. In illud 1. Thessal. 4. 13. *de dormientibus* hæc habet: *Non mœrorem veto, sed mœroris vehementiam. Mœrere namque naturæ est, sed ultra modum mœrere, furoris, insaniæ, muliebrisque animi. Mœre, lacrymare ... Lacrymare, ut Dominus tuus Lazarum luxit, modum nobis, regulam, terminumque doloris ponens*. Et paulo post de nimium flentibus: *Si* RESURRECTIONEM *fore confiderent, talia non agerent*. Et num. 3: *Non solum ergo propter resurrectionem Deo gratias agere debemus, sed etiam propter spem resurrectionis, quæ &* MŒRENTEM ANIMUM SOLARI *potest, & persuadere nobis, ut circa defunctos confidamus, eos nempe resurrecturos, ac nobiscum futuros esse*. Post hæc exemplo Jobi, & Abrahami ad filiorum jacturas æquiore animo ferendas cohortatur. Vides a Chrisostomo non aliunde repeti solatium nostrum in propinquorum morte, quam ex spe resurrectionis, nulla prorsus facta mentione divinæ visionis beatificæ, quam unicam volunt adversarii rationem esse solatii nostri in propinquorum morte? Consequens ergo est, ut ex eodem Chrisostomo formidabilis ob hoc fuerit mors in Veteri Testamento, quod tunc temporis Judæorum præsertim vulgui facta non fuerat distincta, atque aperta resurrectionis revelatio, quam illi sola ratione duce assequi non poterant, licet ex iis, immo & ex Gentibus nonnulli, ut potissimum ex Job colligimus, illud dogma edocti liquido fuerint a Deo Optimo Maximo. Hinc idem Chrisostomus concione 1. in Lazarum num. 10. hæc habet: *Possum his omnibus & aliud addere, videlicet quod ne de resurrectione quidem quidquam poterat* (Lazarus) *philosophari, sed hujus vitæ res crederet hujus vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Evangelii præcesserunt ... Ille tale nihil unquam philosophari*

po-

Tract. in psal. 51. Primum est num. 22. ubi de Propheta ita ille: *Speravit in misericordia Dei, non ad tempus, non in hujus corporalis tantum vitæ brevi sæculo, sed in sæculum sæculi. Extendit enim spes suas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occasu, cum sciat sibi in Abrahæ sinibus exemplo pauperis Lazari esse vivendum; sciat quoque gloriosæ resurrectionis demutatione æternum se, & conformem Deo esse mansurum.* Alterum vero num. 24. *Expectat autem non occulte, non trepidus, non solus; sed in conspectu sanctorum ejus, fide scilicet libera testimonium expectationis suæ vel sub Sanctorum* COELESTIUM *conscientia non recusans, vel Prophetæ exemplo, sanctis omnibus, qui in terra sunt in se ipso præbens expectationis exemplum.* Ex primo scilicet testimonio obvium est planumque, Hilarium duos tantum assignasse Davidi post mortem status, in sinu scilicet Abrahæ a die obitus una cum Lazaro, alterum vero post gloriosam corporum resurrectionem. Vel ergo in primo illo statu, in sinu nempe Abrahæ cum Lazaro, Dei visionem agnovit Sanctus Pictavorum Episcopus, vel non. Si primum, ergo usque ad gloriosæ resurrectionis tempora Dei conspectum Davidi differendum putavit, quod est absurdum, omnibus fatentibus. Si alterum: ergo & pro antiquis justis, speciatim vero pro Davide, & Lazaro promptam asseruit beatitudinis retributionem. Tres porro in adversariorum sententia statuendi fuissent pro antiquis justis status: a die nimirum dormitionis primus usque ad Christi profectionem ad Inferos; secundus ab hac Christi profectione ad universale judicium: tertius demum ab universalis judicii die *in sæculum sæculi*. Hanc tamen temporum distinctionem excludit hic Hilarius. Ergo &c. Ex altero quoque Hilarii testimonio hoc ipsum liquet. Quid enim est illud *sub sanctorum cælestium conscientia*, nisi

potuit, eo quod nondum advenisset tempus ejusmodi dogmatum (resurrectionis scilicet):

At, urgent adversarii, rationem, cui illi innituntur, apertissimis tradi verbis a Chrisostomo in homil. panegyrica de Bernice, Prosdoce, & Domnina, ubi cum effecisset, Veteribus Patriarchis *formidabile* fuisse mori, Paulo vero *melius, illis injucundum, huic jucundum*, mox addit num. 3.: *Ac merito sane: olim enim ad Infernum mors deducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit*. Hisce tamen hoc nunc sit responsum: concionem illam Panegyricam de Bernice &c. Joannis Chrisostomi genuinum fœtum non esse, ex eo potissimum quod doctrinæ ibi agantur nulli sapienti Catholico probandæ. Res manifesta fiet ex iis, quæ doctissimus vir, mihique amicissimus propediem emissurus est in lucem.

nisi certitudo, ac securitas, quod alii jam Sancti in cœlum deducti ibidem regnent? Qui namque cœlestes appellari possunt Sancti, nisi qui vel in cœlis sunt, vel ubicumque diversentur, cœlestibus fruuntur gaudiis? Statuit ergo Hilarius eo, quo hæc pronunciabat David, tempore cœlestes sanctos fuisse, hoc est beatos, & Dei essentia, ac pulchritudine perfruentes. Ergo ante Christi profectionem ad Inferos.

35 Tertio tandem loco omittendæ non sunt Hilarii locutiones, quibus vel Heliæ in cœlestem habitationem describit raptum, vel Infantium cœdem & exprimit, & commendat maxime. Quamvis enim hæ si solitarie spectentur, minoris esse momenti videantur; habita tamen eorum omnium ratione, quæ hactenus disputavi, vim suam præ se ferunt, ac pondus. Hilarius nempe Tract. in psal. 118. lit. 18. n. 3: *Sanctus ille*, ait, *& in* COELESTEM HABITATIONEM *raptus in corpore Elias propheta &c.* (6). Et Com-

(6) Compertum est viris eruditis, quæ sint Theologorum, ac divinarum litterarum Interpretum dissidia de loco, in quem Enoch, & Elia translati sint. Non defuisse viros doctissimos, qui *Paradisi*, ac *Cœli* nomine, quo apud divinos auctores deductos eos fuisse legimus, intelligendum velint Paradisum Sanctorum, & cælum Empyreum, ubi illi gloriosis induti corporibus versantes, divino beentur adspectu, latere neminem potest; qua de re præter cæteros plurimos novissime Fassonius noster eleganter, eruditeque disseruit in Opere *De Piorum in sinu Abrahæ Beatitudine* c. 13. § 187. - 190. Quidquid hac de controversia senserint viri clarissimi, illud unum tacitus præterire nequeo, quod ex Gennadio Scholario Patriarcha Constantinopolitano deducere est, sive quicumque auctor sit operis, cui titulus: *Defensio quinque Capitum, quæ in Sancta Oecumenica Florentina Synodo continentur*. Capite scilicet quarto sect. 3. ut evincat Gennadius, Marcum Ephesium, adversus quem caussam agit Catholicam, non sibi constare circa Sanctorum fruitionem, ubi observasset, eum in Epistola ad omnes gentes, & insulas missa, penitus fruitionem Sanctorum statim ab obitu aperte negasse, hunc pergit in modum. *At in Oratione, quam is in Divi Heliæ commemorationem conscripsit, aperte consitetur Sanctos recipere, ubi dicit*: Ego vero quod ei, veluti Sanctorum animabus ubilibet ad tempus morari, & in sua sede versari, & ad deprecantes passim commeare, necessarium, & verum esse existimo. At non ideo eum cœlo carere dixerim, aut non una cum splendoribus angelorum, Domini throno assidere. Nam aliis inferior esset, qui fere super omnes eminebat, si quia carne induebatur, societate eorum spoliaretur, & Dei ad faciem visione, qua per omne suæ vitæ tempus inprimis potitus est, meis quoque verbis testificatur, quod in eum Ecclesia ita canit: PROPHETA PRÆCO CHRISTI A MAGNIFICO THRONO NUNQUAM DISJUNGERIS, ET CUICUMQUE LANGUENTI IN ALTISSIMIS MINISTRANDO SEMPER ADES, ORBI TERRARUM BENEDICIS, UNDIQUE GLORIFICATUS. *Vides* (rursus Gennadius loquitur), *ut hic clare, & aperte Sanctos Dei*

Comment. in Matth. cap. 1. n. 7. ad illa Hieremiæ verba : *noluit consolari, quia non sunt*; quæ, Matthæo ipso docente, adimpleta sunt in ea Infantium occisione, hæc scribit: *Denique consolari se noluit, quæ dolebat. Non enim non erant ii, qui mortui putabantur*; IN ÆTERNITATIS *enim* PROFECTUM PER MARTYRII GLORIAM *offerebantur. Consolatio autem rei amissæ erat præstanda, non auctæ*. Quamvis autem non diffitear cum adversariis, magno se errandi periculo aliquando objicere, qui ex quibusdam Patrum vocibus colligere se posse existimant, suæ illos opinionis veluti semina, ac fundamenta jecisse, rogatos tamen eos iterum volo, ut serio attendant, non ex hisce tantum Hilarii vocibus nude sumptis me argumentum deducere, sed ex hisce comparate ad ea plurima, quæ superius adnotavi. Optimam enim interpretandi Patrum dicta eam esse didici rationem, quæ tota versatur in conferendis illorum sententiis, eruendoque sensu iis, quæ præcedunt, aut sequuntur, apte accommodateque respondente. Quæ firmissima Critices regula si præ oculis habeatur, nullo negotio constabit, ex hoc pariter Hilarii testimonio de Infantibus Martyribus aliquod peti posse argumentum ad propositam quæstionem illustrandam. (7)

36

Dei visione perfrui ad faciem asseverat? Hactenus Gennadius, Fabio Benevolentio Senense interprete Rom. edit. 1657. Ex quibus verbis colligimus, quæ olim de Elia cecinerit Ecclesia in festo Eliæ Prophetæ, quod in Martyrologio Romano ad diem 20. mensis Julii recensetur, Templis apud Græcos maxime in Eliæ honorem e fundamentis erectis. Ea autem cecinit, quæ non obscure significant, in eum locum Eliam fuisse translatum, ubi præsentem Deum cerneret, atque conspiceret, uti verborum vim, potestatemque serio investiganti apertissime innotescit. Ex quibus, aliisque non paucis, quæ ad rem possent afferri, illud exi-tit, ut nec nova, nec inaudita dicenda sit Hilarii sententia de Elia *in cœlestem habitationem* rapto, idest, in beatorum sedes, ac in cœlestia hæreditatis possessionem translato.

(7) Et quoniam de pueris Herodis jussu interfectis injectus est sermo, dissimulandum mihi non est, facile nimia, atque præpropere a Tneologis nonnullis, qui cum cæteria vulgo sentinnt, Dei fruitionem ante Christi mortem nulli prorsus fuisse redditam, nimia, inquam, facile existimari, fundamentum aliquod suæ opinionis in eo etiam deprehendi, quod in festo horum puerorum die vetus canticum *Te Deum*, & vox *Alleluja* a Sacerdotibus divinas preces facientibus omittatur. Infirmum esse, ac nullum argumentum hujusmodi, Fassoniua noster fatia apte declaravit loc. sæpe cit. cap. 9. nota 23., quæ licet de veteri tantum Cantico *Te Deum* dicta ab eo sint, attamen ad vocem quoque *Alleluja* transferenda ea esse constituo. Nam præterquamquod nihil certi decerni

cerni

36 Hactenus positivis, ut ajunt, momentis pugnatum est negantibus modo utar, quæ superioribus plurimam opportune lu-

E 2 cem

cerni potest ex ejus vocis usu, ac disciplina, quam in antiqua Ecclesia variam maxime, multiplicemque fuisse, traditum est a præclarissimis viris, præsertim vero a Card. Bona in Tract. *de divina psalmodia* c. 16. §. 17., & *Rerum Liturgicorum* l. 2. c. 6. §. 5., a Venerab. Card. Thomasio in Disquisitione Antiquorum Rituum Cantuum Missæ Tom. 5. Operum pag. XXV. & seq., a Maurino Monacho Petro Coustantio *Epistolæ RR. PP. &c.* in censura decretorum Damaso Papæ adscriptorum num. 25., a Mabillonio Musei Ital. Tom. 2. Comment. in Ordinem Romanum n. XV., ab Amato-Pouget *Institutiones Catholicæ* Tom. 2. sect. altera §. 22. num. VI. edit. Venetæ an. 1742. pag. 693, & a Roberto Sala in notis ad alterum Eminent. Bonæ locum supracitatum: illud etiam accedit : 1. quod habetur in Antiphonario S. Gregorii Papæ. In Natali quippe Innocentium hæc initio leguntur: *Gloria in excelsis Deo non canitur, neque Alleluja: sed quasi præ tristitia dies illa deducitur*: idque ipsum nominatim citatur ex Antiphonario per Amalarium l. 1. cap. ult., & Microg. c. 36.. Ex his autem cogi debet, non propter puerorum ad Inferos migrationem & Hymnum, & vocem illam omissa fuisse, sed vel, ut quibusdam placet, *propter magnam lacrymarum vim*, quam matres in acerbo filiorum interitu profuderunt; vel potius ad Ecclesiæ indicandam tristitiam ex eo conceptam, quod Herodis jussu quæsitus ad mortem fuerit Jesus Christus, & secundum Herodis æstimationem interfectus. 2. in plurimis Ecclesiis, Galliæ præsertim, tum Hymnus *Gloria in excelsis*, tum Canticum *Te Deum*, tum demum vox *Alleluja* in usu fuerunt etiam in Natali die SS. Innocentium. Rem discimus ex Edmundo Martene *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus* T. 3. l. 4. c. 13. num. XII., ubi circa ejus diei officium plura sapientissime commemorat, interque cætera illud observandum proponit, quod ab Episcopo Abrincensi traditum est hunc in modum. *Licet ut in morte Domini*, TE DEUM, *&* GLORIA IN EXCELSIS, & ALLELUJA *in aliquot Ecclesiis* (diligenter attende ad illud *in aliquot*) *ex more antiquo omittatur, quia ut Christus occideretur, tot parvuli occidi jubentur: & illis occisis fit mors Christi secundum æstimationem Herodis; tamen quia placuit modernis, placet & nobis, ut cantentur*. Tria autem hic habes 1. ritum non decantandi *Te Deum, Gloria in excelsis, Alleluja* ex more quidem antiquo obtinuisse, sed *in aliquot* tantum *Ecclesiis*, non vero in Ecclesia universali, quod & Amalarius testatur *quarumdam Ecclesiarum* eundem fuisse ritum scribens tom. 2. Analectorum, & probat Martene ex pluribus Missalibus: 2. non ob aliud omissa fuisse *in aliquot Ecclesiis*, nisi ob tristitiam mortis Christi; quæ licet reipsa in occisione infantium non contigerit, contigit tamen *secundum æstimationem Herodis*. 3. Joannem Abrincensem ex communi fere suæ ætatis consuetudine, tria illa cantari jussisse. Ex tota hac igitur cæremoniarum ratione colligi nullo modo potest, Ecclesiam approbare adversariorum sententiam hæc omittendo in festo die SS. Innocentium.

Id ipsum ad festum S. Joannis Baptistæ accommodate intelligi potest, ac debet, de quo Scultingus apud Martene loco cit. cap. 32. num. XXIII. *Domini Teutonici servant hanc Missam cum hoc alleluja*: Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. *In hoc festo non frequentatur alleluja, quia Joannes præfigurat legem. Et quidam faciunt officium absque alleluja initio noctis propter figuram legis, & in medio noctis illud repetunt cum alleluja terminantes*. Apparet ex his 1. non omnino omissum *alleluja* in die natali S. Joannis Baptistæ, quod etiam liquet ex Missa ejusdem diei, quæ apud nos obtinet. 2. non ideo prætermissum.

cem, quin etiam auctoritatem & pondus adhibebunt. Movet me scilicet altum Hilarii silentium, ubi aptissima se se ei obtulerat occasio asserendi Vet. Testam. justos ea ante Christi mortem usos conditione, ut Deum omnino non cernerent. De iis sermo mihi est divinarum litterarum sententiis, quibus adversarii quæstionem hanc dissolvi putant, ac penitus definiri. Sunt autem, quæ præsertim afferri ab iis solent, illud Osee 13. 14: *De manu mortis*

sum *Alleluja*, quia, ut ajunt, Joannis Baptistæ ortus divini Filii obitum, quo tempore nulli æterna beatitudo reddebatur, antecessit. Neque aliud docuit Amalarius Metensis, ut fertur, Episcopus, quem adversarii in suam concessisse sententiam, minus accurate pronunciant. Expendant hi, quæso, Amalarii verba *De ordine Antiphonarii* cap. 69. ubi duas ea de re affert rationes, quæ si rite intelligantur, ne suspicionem quidem ingerunt eorum, quæ ab adversariis traduntur.

Neque tandem omittendum puto, ut ad Infantes Martyres redeam, hactenus dictis cohærere plurimum, quæ in Gallicanis Liturgiis præscribebantur ad diem illorum festum. Lege Sacramentarium Gallicanum ex Codice plusquam 1000. annor. descriptum a Mabillonio Musei Italici Tomo I. parte altera: occurret tibi pag. 293. edit. Paris. an. 1724. Missa in festo SS. Infantum, cujus oratio, quæ ibi *contestatio* dicitur, apud nos vero *Præfatio*, hæc inter cætera complectitur: *Infans Christus transmittit ad cœlos, nova exenia Patri, primitias exhibet Genitori, per Christum Dominum nostrum &c.* Quibus sum maxime permotus verbis, non modo ex eo, quod aperte indicant, pueros illos statim ad Patrem transmissos in cœlos, & primitias veluti Genitori exhibitos; sed etiam ex eo quod illa invenerim eadem prorsus cum iis, quæ apud Chrisostomum leguntur homil. 3. ex variis in Matth. locis. *Expugnant tempore uno nativitatem, & mortem, ingressum, & exitum, principium & occasum, ut ipsis posset tempore uno (ut dixi) contingere, & nascendo ingredi mundum, & dedicare martyrio cœlum... merentur pœna martyrium, gloriam sanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant... transmittit infantes infans Christus ad cœlum, nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori.* Hæc autem nonne aptissime exprimunt cœlestem beatitudinem iis martyribus statim concessam?

Eandem subinde sententiam amplissimis exornavit verbis Gallus item Scriptor Arnoldus Abbas Bonæ Vallis Carnotensis Ord. S. Bened. in tract. *de Cardinalibus Christi operibus* inter Cypriani Opera. Agens enim *De Innocentium Morte*, ita scribit. *Sic Sanctorum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere, quot occidit, melioris vitæ statum eis procurat: & quod ille in perditione molitur, hi utuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur...* ILLICO *spiritus infantilis vasculi receptaculum deserens... ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis, & intellectus plenitudinem in occursum Christi festinat, a quo militiæ suæ quærent stipendium*, AD LUCIS, ET PACIS ÆTERNÆ PRÆMITTITUR GAUDIA, *& Epiphaniæ solemnia* IN CŒLESTIBUS *celebrat, nec in stellæ alicujus lumine, sed* IN IPSA CLARITATE DIVINÆ PRÆSENTIÆ *gloriatur...* IN MOMENTO *assecuti sunt, quæ pacificis, & munda corde debetur*, BEATITUDINEM. *Hi itaque a cunabulis* IN CŒLUM *translati, facti sunt* SUPERNI CAPITOLII *Senatores, & Judices &c.* Amplioribus numquid verbis designari potest cœlestis beatitudo, quam ex Arnoldo Infantes illi sunt statim a morte consecuti?

tis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morsus tuus ero Inferne: illud Zachariæ 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*: illud Davidis 67. 8: *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcbris*: & vers. 19: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus*: illud demum Pauli Coloss. 2. 15: *Et expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Quæ testimonia ejusmodi esse volunt doctissimi adversarii, ut non solum piorum ex Inferorum locis liberationem significent, sed clament etiam, loquanturque ipsa per se, illos Deum antea non vidisse. Nam qui de mortis faucibus, ajunt, redempti sunt, qui soluti vinculis, & de custodiis liberati, qui demum, tanquam hostium, & tyrannorum spolia, in libertatem pristinam restituti, iis certe non ea se forma ostendebat Deus, quæ animos florentes efficit ac beatos: tales vero fuerunt Patres illi Sanctissimi, atque optimi, qui in sinum, complexumque Abrahæ venerant; his igitur ea forma se Deus antea non ostenderat, idest in conspectum non dabat.

37 Egregia utcumque hæc sit argumentatio, ad rem tamen ea minime est, nisi auctoritate Pictaviensis Hilarii, de cujus doctrina ac sententia unice hic sermo est, demonstretur, loca illa explicanda de piis hominibus penes Abrahamum interea temporis diversantibus, quibus Christus inferos adiens divinitatis suæ contulerit felicissimum adspectum. Verum ita hæc versat noster Galliæ Episcopus, ut ne minimum quidem verbum appareat, quo interpretatio illa vel leviter designetur. Habes Davidis, & Pauli loca a Sanctissimo Episcopo explanata tract. in psal. 67. Et ad primum, quod attinet, *qui educit vinctos &c.* hunc in modum scribit num. 8. *Ligato prius intra domum suam forti, eos, qui peccatis suis vinciebantur, absolvit: ut Abrahæ filiam septem & decem annis ligatam, in libertatem verbo virtutis eduxit: eduxit autem etiam eos, qui ante exacerbabant, idest, qui transgressione legis iram in se Dei judicis incitabant, vel adversum nomen ejus gentili eloquio disserebant, ad doctrinam divinæ cognitionis: ut ex persecutore Paulum Gentium Apostolum, Doctoremque præfecit. Hos itaque exacerbantes, inabitantes antea in sepulcbris, idest intra corporum suorum emortua domicilia conse-*

pul-

pultos, in cœlestem vitam, spiritalemque deduxit. Sunt enim multi in viventibus mortui. Nam in Evangeliis mortui non putati non differre docentur a mortuis, Domino dicente. Sinite mortuos sepelire mortuos suos... *Sed hos omnes de sepulchris Dominus, qui in filios Dei regenerantur, eduxit.* Quam ergo indicatam vult Hilarius eo Prophetæ versiculo, liberatio referenda non est ad pios in sinu Abrahæ quiescentes, sed ad gentiles, quos ab idololatriæ erroribus per suam gratiam, ac Evangelicæ legis veritatem revocavit.

38 Ad illud versiculi 19. *Ascendisti in altum &c.* hæc habet num. 19. *Ascendens in altum, & se se hominem ex mortuis in cœlestibus revehens, accepit eos, qui a diabolo erant capti, quos & ad pulchritudinem domus spolia divisit. Dehinc dona in hominibus accepit, cum primogenitus ex mortuis de se ipse testatur dicens:* Dominus dixit a me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Accepit ergo dona in hominibus, gentes scilicet in hæreditatem: in quibus in sancto in altum primogenitus ex mortuis capta captivitate conscendit. Et quia ultra humanæ spei fidem fit, eum terræ carnis corruptionem in cœlestem gloriam transtulisse, gentesque impias, & ante vitiorum, ac superstitionum furore pervasas, ad cognitionem Dei, consortiumque esse deductas: ob hoc in his dona hominibus accepit, qui se cum Deo habitaturos esse non crederent.* En captivos, quos ex Hilario Christus in altum ascendens secum deduxit: Non veteres Patriarchas, & justos, sed gentilem populum, qui idolorum culti obstrictus, omnique deditus vitiorum, superstitionumque generi, a diabolo captus erat. Hunc Christus in hæreditatem accepit, hunc ad se vocavit, hunc demum regenerationis lavacro initiatum & filium adoptionis effecit, & ad Ecclesiæ suæ pulchritudinem, ornatumque composuit. Quod & num. 12. diserte significaverat Pictavorum Magister illud exponens v. 12. ejusdem psalmi: *& speciei domus dividere spolia*: ad quæ verba ita ille: *Ad Ecclesiæ decus detracta ab his diabolo gentium spolia dividuntur, atque etiam ex his spoliis domus pulchritudo perficitur, cum in Sacerdotes Dei ad ministerii sanctificationem ab aris, templisque dæmonum abstrahuntur, sanctoque spiritu irrigati, evangelizantes effectæ sunt dilecti esse virtutes.*

39

39 De Pauli demum testimonio sic loquitur ibidem n. 23. *Sed suscipiendæ ab Unigenito Deo carnis, adeundæque mortis, & per Apostolum, & nunc per Prophetam grandior, profundiorque ratio tractatur. Ac primum quid in Crucis Sacramento atque mortis ab Unigenito Deo, Domino Majestatis effectum sit, per Apostolum intelligamus: ut duce eo docti, prophetiæ scientiam consequamur. Ait enim ita*: & vos cum essetis mortui in peccatis, & præputio corporis vestri &c. (usque ad illa *triumphans eos in semetipso*). *Sacramentum itaque salutis nostræ primum resurgens ipse ex mortuis, decretumque mortis nostræ, quo ante detinebamur, absolvens in se ipso, qui ex mortuis æternus jam maneret, implevit. Sed in eo ipso, quod nobis vitæ auctor in se est, dum per assumptionem corporis homo natus, & mortuus, jam rursum æternus ex mortuis est: omnes quoque inimicas virtutes, mundique potestates, principesque aeris hujus ostentui reddidit, idest vel nostræ spei, vel suæ damnationis fecit ostenta, & ipsos quædam quasi ex diis sæculi portenta constituit: his ipsis in se cum fiducia triumphatis, dum & per securitatem æternitatis mors ipsa in Deo moriente fiducia est, & auctores mortis humanæ, dum etiam in se ipso per occupatum a Satana cor Judæ auctores sunt mortis, triumphat ex mortuis*. Quis porro in hisce Hilarii verbis aliquid indicaverit, quo interclusus dicatur aditus fuisse piis Vet. Test. animabus, antequam Christus mortem pro nobis oppeteret?

40 Tandem huc etiam pertinet, quod de morte a Christo devicta, profligatoque ejus aculeo passim habet Hilarius. Mortem quippe devincere, & mortis obtundere aculeum, nihil aliud designat apud Hilarium, quam sublata carnis corruptione, immortalitatis participem fieri per gloriosam corporis resurrectionem. Egregium hujusce interpretationis testimonium occurrit tract. in psal. 118. lit. 3. n. 6., ubi significaturus Hilarius beata illa tempora, quæ corporum restitutionem subsequuntur in cœlis, hanc adhibet loquendi formulam. *At vero* MORTE VICTA, ET ACULEO EJUS OBTUSO, *& cum facie ad faciem audiemus, & cernemus, tunc vere & vivemus, & mandata Dei servabimus*. Quod autem hæc de resurrectionis tempore intellexerit, apertissime liquet tum ex verbis num. 3. *Habemus etiam nunc admixtam nobis materiam, quæ mortis legi, & peccati obnoxia est; & in hujus cadu-*

cæ

cæ carnis, *infirmæque domicilio corruptionis labem ex ejus consortio mutuamur : ac nisi glorificato in naturam spiritus corpore*, *vitæ veræ in nobis non potest esse natura*. Glorificari autem in naturam spiritus nequit corpus, nisi per restitutionem ad vitam immortalem: tum ex iis quæ immediate ante præmittuntur eodem num. *6. Taceo de naturis corporum*, *quæ nos interim aut per infirmitatem*, *aut per incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt*. *At vero morte victa*, *& aculeo ejus obtuso &c*. Si ergo *mors victa*, *& ejus aculeus obtusus* dicitur ab Hilario, quatenus humana corpora per Dei filium sunt ad immortalitatem evecta; æquo jure dicendum, eas divinarum litterarum sententias, quibus liberasse homines de manu mortis Christus asseritur, de morte eos redemisse, dextruxisse mortem morte &c. eundem præ se ferre sensum ex Hilario; idest, non eas enunciari ob divinitatis conspectum, Christo ad inferna descendente, Sanctis Veteribus concessum; sed ob redditam immortalitatem, quam primo hominis peccato perdideramus. Atque hanc ad interpretationem revocanda volo quæcumquæ ab adversariis proferuntur de mortis imperio a Christo superato, devictoque, quorum singularis ab Hilario interpetratio tradita non est. Idque eo vel magis, quod in psal 68. n.14. mortem desiisse scribit, postquam in Deo grassata est, & ab hominum genere depulsam per primitias ex mortuis. Quomodo autem desiicit mors, cum omnes e corpore debeamus evadere? deiit, inquam, quia resurgendum nobis est, & mortale hoc induere debet immortalitatem, corruptile hoc incorruptionem. Habes ergo & positivis confectum argumentis, & negantibus, Hilarii sententiam de piorum statu ante Christi mortem eam revera fuisse, quæ piis illis felicissimum Dei adspectum donatum vult, eosque in jucundissimam divinæ essentiæ ac pulchritudinis receptos possessionem.

41 Hisce ergo statutis reliquum est, ut quæ opponi solent Hilarii testimonia & expendam, & illustranda pro viribus suscipiam, ita ut dubitatio omnis evanescat. Sunt hæc autem

42 I. Ex epist. sub Hilarii nomine an. 1751. primum edita a Viro Cl., quem honoris gratia nomino, Joanne Chrisostomo Trombelli inter Vet. PP. opuscula Tomo I. *Reseratis inferis*, ita num. 6., non 7. ut ab adversariis refertur, *& spretis*, *conculcatisque omnibus his*, *quæ in perniciem hominis*, *& salutem apud inferos*

res tunc valebant; omnes justos, & sperantes in se illuminavit, & ad superos revocavit: ostendens diabolo, & potestatibus hujus Mundi, & harum tenebrarum, nequitiam eorum non valuisse: ipsos manere in pœnis, liberato cui invidebant homine.... In Cælum invexit, Deo Patri liberatum hominem offerens munus. Durum sane, inquiunt, & absonum loquendi genus, si homines antea cœlestem Patrem, sive Deum vidissent. Nam quî tandem Filius hominem Patri munus obtulisset, si jam antea optimus quisque potiebatur Deo? si totum prope cœlum, ut alios sileam, Hebræo jam genere completum erat?

43 II. Ex lib. 3. de Trinit. num. 15. *Dei Filius in inferis est: sed homo refertur ad cælum:* Cui & illud affine est in psal. 38. num. 26. *Domino itaque passo ista deliciæ sunt; dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem potestatem despoliat, dum de his in se triumphat, dum eum, quem ad imaginem suam fecerat, redimit, dum deliciis Paradisi restituit.*

44 III. Ex lib. 4. de Trinit. num. 42. *Hic ergo unus est* (Christus)... *mortem in Inferno perimens.*

45 IV. Ex Tract. in psal. 58. num. 10. *Descendente eo* (Christo), *sanctos ejus inferi non tenent.*

46 V. Ibid. in psal. 118. lit. 11. num. 3. *Scit* (Propheta) *exhortationem hanc sanctos quiescentes in Inferno desiderare.* Quam tamen difficultatem, ut ipsis adversariorum verbis describam, mea plurimum interest. Sic autem illi. *Iterum* sanctos quiescentes in Inferno (*aperte significat Veteres*) consolationem, *quæ in videndo Deo sita est*, desiderare.

47 VI. Tandem ibid. lit. 15. num. 8. *Adhuc enim sibi* (Davidi) *obeunda mors est, adhuc inferi sustinendi.*

48 In hoc autem sententiarum splendore, atque ubertate neminem opinantur adversarii esse, qui non videat, Hilarium divinitatis conspectum, profluentesque inde delicias veteribus ademisse; & si quæ paullo obscuriora apud eundem Pictaviensem Episcopum fortasse sint, ea clarissima hac luce circumfusa omnem debere obscuritatem exuere. Nam si pii quiescentes in Inferno consolationem olim, quæ in videndo Deo sita est, expetebant, si Davidi fuerunt antea Inferi sustinendi, si Christo versante apud Inferos, mortemque inibi perimente, sancti ejus inferis non tenentur, sed referuntur ad cœlum, dubium ne esse potest, quin

Deum ex Hilario videant, præsentemque conspiciant? En totam adversariorum argumentationem, cui evertendæ, quæ superius dicta a me sunt, plurimam opportune lucem, quin etiam pondus, & auctoritatem afferent.

49 Hisce omnibus antequam occurram, etiam atque etiam oro, obtestorque adversæ sententiæ Theologos, ne plus justo velint confidere nonnullis Hilarii dictionibus, phrasibusque, quæ sparsim apud Galliarum Magistrum occurrunt, quæque illorum opinioni blandiri prima fronte videntur. Habenda porro est ratio eorum, quæ ille apertissime tradidit, ubi de Lazaro ante Christi mortem defuncto sermonem habet, occasione scilicet accepta a Christi parabola, sive historia: ibi enim data opera gaudiorum meminit, deliciarumque, quibus lætabatur Lazarus in Abrahæ sinu; ibi mercedem describit, quæ justo cuilibet statim a morte reddenda est; ibi demum prœmia justorum confert cum iis, quibus e contrario urgebatur Dives, doloribus, ac tormentis gravissimis. Ex hisce Hilarii deducenda mens est; ad hæc tanquam ad Lydium lapidem revocandæ sunt cœteræ Hilarii locutiones, quæ sparsim habentur. At hisce generatim ob oculos positis, en ad singula responsionem.

50 Ad primum. Nihil me movet testimonium ex ea Epistola desumptum. Satis enim superque demonstratum a me est, edita Romæ paucis ab hinc mensibus dissertatione, libellum illum, sive Epistolam esse Hilario abjudicandam, quam ut consulas, opportunum maxime erit. (8)

51

(8) Hac de dissertatione duo mihi observanda occurrunt, quorum unum ad confirmanda, quæ aliquando dixi, ad explicanda alterum plurimum conferet. Scripseram §. 13. antequam Macedonianorum error in publicum prodiret, ante annum scilicet 360., non defuisse, qui de Spiritus Sancti divinitate impie ac nefarie sentirent, aperto ei indicto bello, nominatimque ejus substantia blasphemiis petita. Qua in sententia sum magis magisque confirmatus ex eo primum, quod in lib. *de Synodis, seu de fide Orientalium* describens Hilarius exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum scriptæ an. 351., ejusque Synodi Canones sex supra viginti enarrans, ad Canonem XXI. ita se habentem: *Si quis Spiritum Sanctum partem dicat Patris vel Filii, anathema sit*: hæc de suo addit. *Stultitia haeretici furoris hæc coegit in scripta referre. Nam cum Spiritus Sancti nomen habeat suam significationem, & Spiritus Sanctus Paracletus habeat substantiæ suæ & officium, & ordinem, & cum ubique indemutabilis Pater & Filius prædicetur: quomodo pars esse aut Patris, aut Filii Spiritus Sanctus asseritur? Sed quia, sicut inter cætera insaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis solet, ideirco a Sanctis debuit improbari*. Fuerunt ergo ante an. 351. qui in Spiritum

51 Omisso tamen hoc responsionis genere, illud modo ponam, Hilarii eam esse germanum opus. Igitur & ex orationis contextu, & ex aliis Hilarii locis Auctoris mens accommodatissime

F 2 inno-

ritum Sanctum blasphemi eum partem assererent Patris vel Filii; atque hinc Patri, vel Filio inferiorem efficerent; quod est divinitatem Spiritus Sancti penitus evertere. Accedunt præterea apertissima Patrum testimonia, quibus Pneumatomachorum error Arianis nominatim tribuitur, Epiphanium dico, Augustinum & Prosperum Aquitanum. Ille enim lib. contra hæreses hæresi 69., quæ est contra Ariomanitas edit. Paris. an. 1564. pag. 346.: *Spiritum Sanctum*, inquit, *creaturam creaturæ rursus esse dicunt, eo quod per filium omnia facta sunt, veluti dixit Scriptura*, S. Augustinus Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum num. 49.: *Ariani ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum nolunt esse unius ejusdemque naturæ, atque substantiæ, aut ut expressius dicatur, essentiæ: sed esse Filium creaturam, Spiritum vero Sanctum creaturam creaturæ, hoc est ab ipso Filio creatum volunt*. Prosper autem Aquitanus in Chronico, Coss. Crispo II., & Constantio II. *Arius Presbyter*, ait, *ab Alexandro Episcopo de Alexandrina Ecclesia ejectus, multos suæ impietati sociat, prædicans Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non esse unius, ejusdemque naturæ, aut, ut expressius dicitur, essentiæ, utpote creaturam: Spiritum vero Sanctum creaturam creaturæ, idest ab ipso Filio creatum. Ad quam perfidiam coarguendam Synodus trecentorum decem & octo Episcoporum &c.* Adde Theodoretum Hæret. fabul. l. 4. num. 5. *Hic* (Macedonius) *Spiritum Sanctum, sicut Arius, & Eunomius, blasphemare perstitit*. Existimandum ergo non est, Sanctissimum Pictavorum Episcopum per id temporis, cum jam in Spiritum Sanctum debacchabantur Ariani, paulo liberius de Spiritu Sancto scripsisse, iisque voluisse uti locutionibus, quæ, Cl. Trombelli non diffitente, postquam hæresis in Spiritum Sanctum viguit, a Viro Catholico adhiberi non potuissent.

Alterum vero de quo hic loci lectorem admonitum volo, circa id versatur, quod nota 11. ex aliorum sententia recensui de egregia, eruditissima, summoque omnium plausu excepta dissertatione Joannis Francisci Bernardi Mariæ de Rubeis, cui titulus: *De tribus in cælo testibus* &c. Non enim legeram modo apud virum doctissimum de litteraria historia optime meritum; sed alios præterea audiveram summis votis desiderantes confutationem argumentorum, quæ ab Emlyno fuerant proposita, desiderantes, inquam, ea, ut ajebant, in dissertatione, quæ adversus Samuelem Crellium, aliosque suscepta est, in qua Richardi Simonii, & Samuelis Clandleri refelluntur sententiæ, Harduini indicantur commenta, Anonymi Galli redarguitur aut oscitantia, aut impudentia. Horum tamen votis abunde satisfactum est ab eodem doctissimo De-Rubeis, qui, dum illa scribebam, & ex aliorum referebam sententia, librum edidit in lucem omnigena eruditione, doctrinaque refertum, hunc præ se ferentem titulum: *Dissertationes variæ Eruditionis, sub una Capitum serie collectæ, queis Argumenta, sive pridem tractata, sive nunc primum proposita, diligentius illustrantur, ac vindicantur. In 4. Venet. 1762.* Hujus operis primo in capite satis apte refellitur præcitatus Emlynus, ita ut nihil sit amplius doctis viris, quod eo de argumento optare possint. Interim non dissimulabo, eodem illo in capite testimonium depromi ex Epistola sub Hilarii nomine a Cl. Trombelli primum editæ quamvis autem Hilarii ea revera non sit, perantiquum tamen habet auctorem, & Hilario fortasse vetustiorem, Cyprianum nempe, adeoque ad rem a Cl. De-Rubeis intentam maxime facit.

innotefcet. At five contextum confideres, five ad memoriam revoces alia Pictavienfis Epifcopi teftimonia, manifefte conftabit, eas Epiftolæ locutiones nullo modo favere adverfariorum interpretationi, nec accipiendas effe de jucundiffimo Dei adfpectu, quem tunc primum tribuerit Chriftus Sanctis in inferis quiefcentibus; fed vel de jure ad refurrectionem, immortalemque in cœlis vitam una cum corpore, quod jus fuo illis fanguine comparavit Dei Filius, vel de ipfa corporum ad vitam reftitutione, quam fuo ad Inferos defcenfu illorum plurimis largitus eft. Rem ferio experiamur, tum ex immediate ante pofitis verbis, tum ex iis, quæ fequuntur. Præmiferat porro Auctor hæc verba: *In noviffimo per mortem hominis immortalis moriebatur, ut fublata mortalitate hominibus immortalitatem donaret. Sufpenfus igitur ligno.... ad mortem voluntate properabat, futurus fcilicet mortis mors: namque referatis &c.* Atqui *immortalitatem hominibus donare, fublata mortalitate &c.* phrafes funt, loquendique formulæ, quæ per fe eum non habent fenfum, qui fignificet copiam alicui facere videndi Deum; fed potius carnis vincere corruptionem, & refurgendi dare munus; præfertim fi res ad alia Hilarii teftimonia deducatur, ex cujus fententia *mortem devincere*, feu *mortis obtundere aculeum* eft immortalem alicui vitam impertiri (§. 40.), & a quo Sanctiffimo Epifcopo corporum ad vitam reftitutio princeps veluti mortis Chrifti effectus defcribitur (§. 18.). Quæ ergo præmittuntur verba nihil prorfus habent de jucundiffimo Dei adfpectu, quo, Chrifto ad inferos proficifcente, potitæ primum fuerint animæ Sanctorum in finu Abrahæ diverfantes; fed eo unice fpectant, ut carnis immortalitatem per Dei Filium hominibus partam nobis fignificent. Atqui, quæ ex eadem Epiftola opponuntur, verba immediatam ad præmiffa habent relationem, & nexum: continent enim præmifforum rationem, eifque per adverbium *namque* adjunguntur; ergo & ifta ad gloriofam Sanctorum refurrectionem funt referenda:

52 Id etiam maxime patet fi ad ea, quæ fequuntur, attendamus. Mox enim additur. *Triumphans igitur homo cum Deo, jam devicta morte, non mortalis jam ad fuperos evadebat.* En iterum locutionem illam *devicta morte* (§. 40.), tum etiam illud *non mortalis*, quod de homine nonnifi ratione carnis dici vere poteft. Hæc deinde fubfequuntur. *Hoc fcilicet docens, quia cum*

Deo

Deo quisquis se conjunxerit, mori videri potest, non potest interire. Interitus autem, cujus hic meminit Auctor, idem est ac corruptio, ut praeclare nos monet Doctiss. Trombelli in hanc Epistolam nota 129. Sed corruptioni opponitur carnis immortalitas, non vero divinae essentiae communicatio: Docuit ergo Epistolae Auctor, Sanctos interire non posse ex eo, quod a carnis corruptione Christus eos vindicaverit per corporum immortalitatem illis comparatam. Tandem pergit Epistolae Auctor. *Parum tamen videbatur ad supplicium inimicorum factum, si extincto inimico vitam homini dedisset, & non adderet claritatem. Et ut Diabolo, & Angelis ejus poena major accederet, cum triumpho hominem, qui carnem habebat jam non morituram, in caelum Angelis, & potestatibus sanctis monstraturus invexit, Deo Patri liberatum hominem offerens munus*. Illud autem *hominem, qui carnem habebat jam non morituram in caelum invexit*, liquido demonstrat, de corporis immortalitate per gloriosam resurrectionem sermonem ibi fieri, sive ad indigitandum resurgendi jus illud, quod nobis sua morte acquisivit Christus; sive ad significandam corporum resurrectionem re vera tunc temporis Sanctis concessam; sive demum verosimilius ad indicandam humanam Christi naturam ad Patris dextram in coelis collocatam secundum id, quod Patres vulgo docent, interque caeteros Cyprianus in lib. de Idolorum vanitate: *Tunc in caelum circumfusa nube sublatus est, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret*: Hilarius quoque alibi nempe in Matth. cap. 3. num. 2. *expectatum Deo Patri munus*, HOMINEM, QUEM ASSUMPSERAT (hoc est humanam naturam, quae ex anima constat & corpore) *reportavit*: Ac tandem Maximus Taurinens. homil. 2. in Pentecost. *Praedam Salvator quodammodo sustulit*, *cum* HOMINEM, QUEM SUSCEPIT, *Inferni raptum faucibus portavit ad caelum &c.* Apparet ergo ex his, adducta Epistolae verba nullo modo efficere, ut volunt adversarii, Sanctos in inferis ante Christi mortem degentes Dei visione fuisse destitutos.

53 Ad haec: Conferantur verba, ex quibus argumentum ab adversariis depromptum est: *namque referatis &c.*, cum iis, quae in Matth. cap. 33. num. 7. scribit Hilarius hunc in modum. Et monumenta aperta sunt, *erant enim mortuis claustra referata*:

&

& multa corpora Sanctorum surrexerunt; *illuminans enim mortis tenebras, & inferorum obscura collustrans in sanctorum ad præsens conspicatorum resurrectione mortis ipsius spolia detrahebat*. Si Hilarius est, ut modo ponitur, qui in Epistola loquitur, textus Epistolæ per hunc clariorem ex Comment. in Matth. explicandus ita erit, ut illud *reseratis Inferis* respondeat verbis *erant mortis claustra reserata*, & illud *justos ac sperantes in se illuminavit*, respondeat alteri: *illuminans mortis tenebras &c.* Sed *claustra mortuis reserare*, *illuminare mortis tenebras &c.* est ex Hilario ad vitam revocare, est devicta carnis corruptione immortalem vitam tribuere, ut liquet ex mox allato Pictaviensis Episcopi testimonio; ergo & idem significasse Hilarius in Epistola dicendus est.

54 Quod autem hactenus dixi de corporum immortalitate, resurgendique copia mortuis facta, quam ab Epistolæ auctore designari probavi, non perinde accipiatur velim, ac si Christus oppetita morte ad Inferos descendens justos omnes, & in se sperantes ad vitam reipsa revocaverit, & plenæ, absolutæque in cœlis beatitudinis consortes effecerit. Quamvis enim nonnullorum Veterum Patrum opinio fuerit, inter quos locum habet Hilarius noster (9), mortuos ad vitam restitutos non modo fuisse in passio-

(9) Apertissime id noverit, quisquis Hilarii testimonia, quæ subjicimus, ad memoriam revocaverit, expenderitque. Tract. porro in psal. 2. num 26. ad illud: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*: hæc habet. *Non super illum utique perditæ civitatis montem, comploratæ scilicet, & homicidæ, & parricidæ Jerusalem: sed Jerusalem ejus, quæ in cælis est, quæ mater est nostra, quæ civitas regis magni est*, CUJUS, *ut existimo*, HODIEQUE INCOLÆ SUNT IN PASSIONE DOMINI RESURGENTES. Et in psal. 146. num. 2. *Laudat autem Propheta Dominum ædificantem Jerusalem illam, quæ secundum Evangelia Sancti Regis est civitas*, IN QUA PER DOMINUM RESURGENTES SANCTI DEMONSTRANTUR. Qui vero fuerint, quos Christus sui in cœlum itineris comites habuit, non indicavit Hilarius; uti nec significavit, quos ad vitam revocaverit, justos. Suspicari quidem posset, S. Doctorem intendisse animum ad Patriarchas, & Prophetas, quippe quia loc. cit. in Matth. (§. 52.) meminit resurrectionis *Sanctorum in præsens conspicatorum*, hoc est in Christum Reparatorem, & in legis gratiæ institutionem. Etsi enim justus quilibet Vet. Test. nonnisi per fidem in Christum venturum salutem consecutus sit, potiori tamen jure ea verba de Patriarchis, & Prophetis usurpari posse videntur; hi siquidem singulari quadam imbuti fuisse dicuntur cognitione mysteriorum, quæ in Christi adventu, & passione perfecta sunt, adeoque conspicati hi sunt maxime in præsens tempus. Hinc derivatum in eos est vehemens illud, ac singulare desiderium, de quo Christus Matth. 13. 17. *Amen dico vobis, multi Prophetæ, & justi quæsierunt videre, quæ vos videtis, & audire, quæ vos auditis.*

Quo-

passione Domini, verum etiam in cœlestem Jerusalem una cum Christo advectos; ad hanc tamen opinionem non referenda esse videntur Epistolæ verba. Hæc enim amplissima nimis sunt, & generatim nimis pronunciata, ita ut, nisi per justos, & in Christum sperantes veniant, qui præclaro quodam, singularique justitiæ genere, eximia futurorum spe, distinctaque adventus Christi cognitione emicuerunt, qua admissa interpretatione, Prophetæ speciatim, ac Patriarchæ, & optimi aliqui viri Vet. Testam. designarentur, consequens inde foret, ut Christus Sanctis omnibus vita functis restitutionem illam impertitus fuerit, & omnes prorsus ad superos revocaverit. Id vero & in divinarum litterarum sententiam Matth. 27. *multa corpora Sanctorum &c.* quadrare vix potest, nec aliorum convenit Patrum dictis. Hisce ergo moveor, ut putem, Epistolæ Auctorem illa pronunciantem præ oculis habuisse jus illud ad immortalitatem, & resurrectionem, quam justis omnibus suo sanguine Christus promeruit, secundum illud Pauli Ephes. 2. 6.: *Convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu*: quo loco scilicet, tanquam jam factum enuntiatur, quod futurum est, *pro certitudine spei*, ut ait S. Thomas hic. Utcunque ergo se res habeat, illud firmum est, ac ratum, penes illius Epistolæ auctorem, etiamsi Hilarius sit, ne minimum quidem haberi verbum, ex quo deduci etiam obscure possit, Sanctos Vet. Testam. ita Christum illuminasse, & revocasse ad superos, ut prius a Dei visio-

Quocumque tamen modo se res habeat, illud firmum apud nos est, ratumque, ex Hilario non colligi, omnes sanctos & fuisse ad vitam restitutos, Christo ad Inferna descendente, & ad superos revocatos.

Hac autem in sententia de sanctis una cum Christo ab inferno redivivis, & cum Christo in cœlum avolantibus, Hilario nostro facem prætulerunt, lumenque Origenes, & Tertullianus. Ille enim lib. 3. in Canticum Canticorum ad calcem ita rem disertissime enunciat. *Quia liber inter mortuos fuit, idcirco devicto eo, qui habuit mortis imperium, abstraxit captivitatem, quæ tenebatur in mortem: & non solum semetipsum resuscitavit a mortuis, sed & eos, qui tenebantur in morte, simul excitavit, simulque sedere in cælestibus fecit. Ascendens enim in altum captivam duxit captivitatem, non solum animas educens, sed & corpora eorum resuscitans, sicut testatur Evangelium, Quod multa corpora sanctorum resuscitata sunt, & apparuerunt multis, & introierunt in sanctam civitatem Dei viventis Hierusalem.* Alter vero nostros sibi id objicientes inducit lib. de Anima cap. 55. *Immo, inquis, in Paradiso, quo jam tunc, & Patriarchæ, & Prophetæ,* APPENDICES DOMINICÆ RESURRECTIONIS *ab inferis migraverint.*

visione remoti, hanc inde consecuti fuerint. (10)

55 Ad II. Non video sane, cur locutioni illi: *homo refertur ad cœlos*, ea subjicienda sit notio, quæ significet, Dei Filio infernas sedes adeunte, contemplationem divinæ essentiæ facie ad faciem fuisse primum concessam Sanctis Patribus in Abrahæ sinu commorantibus. Id genus interpretationem neque ipsa per se locutio significat, neque alia apud Hilarium expostulant testimonia. Non postremum: Clarissimis enim, ni fallor, testimoniis demonstratum superiori loco a me est, Pictavorum Magistrum descripsisse statum Lazari, ubi primum migraverat e vita, iis loquendi formulis, quæ omnino quadrent in eum, cui facta jam sit Deum videndi copia, & quæ ne minimum quidem dissentiunt ab iis locutionibus, quas alibi usurpat ad exprimendam Sanctarum animarum Novi Testam. sedem jucundissimam. Deinde demonstratum quoque est (§. 18.), ita Hilarium loqui de Christi obitu, atque descensu ad inferos, ut de visione beatifica Sanctis illis Veteribus tunc temporis primum reddita altum servet silentium; coarctet vero orationem suam ad enarrandam gloriæ, ut vocat, consummationem ac plenitudinem, quam per corporum immortalitatem humani generis Reparator nobis comparavit. Non primum, hoc est non ipsa per se locutio, quod volunt adversarii, significat. Ita enim dicitur ab Hilario hominem per Christi ad Inferos profectionem fuisse ad cœlos relatum, quemadmodum dicitur Christus, *interfecisse inimicitias in semetipso*, *delevisse chirographum decreti*, *quod erat contrarium nobis*, *pacificasse omnia per sanguinem crucis ejus*, *nos Deo reconciliasse &c.* quæ, aliaque

plura

(10) Quod si facilem me experiri velint adversarii, dato aliquantisper illud: *Deo Patri liberatum hominem offerens munus*, aperte significare cœlorum regnum, Deique conspectum, ac possessionem tunc primum humano generi concessum. Ex hoc autem illud fiet, ut quotiescumque eadem loquendi formula apud Patres occurrit, eadem quoque interpretatio sit adhibenda. Occurrit autem & in Sacramentario Gallicano, & apud Joan. Chrisostomum, de quibus dictum est (nota 7.). In illo enim de pueris Herodis jussu interfectis canitur: *Infans Christus* AD COELOS *nova exenia Patri*, *primitias exhibet Genitori*: In altero vero: *Transmittit infantes infans Christus* AD COELUM, *nova xenia Patri*, *primitias fructuum exhibet Genitori*. Ergo & hæc duo significabunt de adversariorum sententia sempiternam felicitatem, quam pueris largitus est Christus, antequam mortem pro nobis obiret. At illi hoc apertissime negant: necesse est ergo, ut agnoscant, neque eam phrasim ab Hilario usurpatam significare, quod illi tam fidenter nobis opponunt.

plura in divinis litteris habemus. Atqui hæc minime obstant, quo minus antiqui etiam sancti per fidem passionis Christi venturi, spiritum adoptionis accipientes filii Dei effecti fuerint, & Deo reconciliati &c. Ergo quamvis per Christum homo restitutus ad cœlum asseratur, non inde fit tamen, quod ante Christi mortem nequiverint veteres Sancti Dei adspectu donari. Neque ad argumenti vim labefactandam confugiant adversarii ad distinctionem illam, de qua vide (§. 17.).

56 Animadverto præterea, illud: *homo ad cœlos refertur*, vel *deliciis Paradisi restituitur*, accipi commode, aptissimeque posse de integro homine, seu de humana natura, quæ anima constat, & corpore, & quæ profecto in cœlum prius recipi nequivit, quam Christus illuc ascenderet. Est enim Christus *primitiæ dormientium*, *& primogenitus ex mortuis*. Hæc sane interpretatio quadrat quam maxime in Hilarium: 1. quia ut passim dixi, totus est S. Episcopus in commendando immortalitatis munere nobis per Christi passionem collato, atque in eo præcipuum nobis exhibet passionis Christi effectum (§. 18.). 2. quia *Paradisi* vox, quam loc. cit. ex psal. 138. adhibet, sumitur ut plurimum ab Hilario ad indigitandam beatorum sedem post corporum resurrectionem. Id luculenter habes tract. in psal. 2. num. 9., ubi loquens de ligno, quod plantatum dicitur juxta decursus aquarum, hæc ait: *Et plantatum hoc lignum est juxta decursus aquarum, in possessione scilicet regni Dei, idest in Paradiso*. Regnum autem Dei, quod distinguitur a Regno Christi, est ex Hilario status Sanctorum post resurrectionem, ut optime norunt, qui in Hilarii versati sunt lectione, & de quo nos aliàs fortasse. Hinc num. 10. beatum ex eo ligno fructus percepturum pronunciat: *quando transformabit corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ.... quando ipse in gloria Dei Domino suo conformis adstiterit*. Quæ sane nonnisi per corporum resurrectionem locum habere possunt. Habes etiam in psal. 118. lit. 15. num. 8. *Tunc salvabitur* (David), *cum ex corporea terrenaque natura in spiritalem gloriam transformatus... sit* PARADISI INCOLA. Habes l. 10. de Trinit. num. 34., ubi in Paradiso *consummatæ Beatitudinis delicias* esse enuntiat. Habes demum alibi, ita ut Maurinus Monachus in præfat. gener. ad S. Hilarii Opera §.VI. num. 199. suspicatus fuerit, Hilarium forte sensisse, alium

locum Latroni, alium cœteris justis concessum ob præclara illa, quæ de promissione Latroni a Christo facta testimonio mox adducto ex psal. 2. num. 9. pronunciat. At quidquid de his sit, quæ obscurus Hilarii sermo extra omne dubium ponere non sinit, illud unum exploratum habeo, ex locutione illa: *homo refertur ad cœlum*: inferri nullo modo posse, habita præsertim ratione eorum, quæ alibi aperte usurpat, S. Hilarium removisse antiquos justos a Dei felicissimo conspectu.

57 Ad III. Quo sensu ab Hilario dicatur mors in inferno per Dei Filium perempta, satis me arbitror explicasse (§. 40). Illis tamen unum addas velim ex lib. 11. de Trinit. num. 35. *Novissime devicta est ab eo mors. Devictio autem mortis nihil aliud, quam resurrectio ex mortuis est: cum interitus corruptione cessante, vivæ jam cœlestisque naturæ constituatur æternitas, secundum quod dictum est*: Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem. Cum autem immortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet verbum, quod scriptum est: Absorpta est mors in contentione. Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est mors contentio tua? *In subjectione itaque inimicorum mors vincitur, & morte victa immortalitatis vita succedit*. Perlegatur etiam Tractatus in psal. 59. num. 14. ubi eadem prorsus habentur. Id autem dixit Hilarius accommodate ad Paulinum illud 1. ad Corinth. 15. 54: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria*. Non ergo eo sensu peremptam voluit Hilarius in inferno mortem, qui significet, Patres ac justos quoslibet in Inferis diversantes ex privatione divini adspectus ad beatitudinis gaudia fuisse translatos; sed qui innuat, resurrectionis beneficium nobis comparasse Christum per suum ad Inferos descensum, ac restitutionem ad vitam in cœlis gloriosam. Hinc explicans quodammodo, & amplioribus describens verbis, quæ dixerat paucis illis, *mortem in inferno perimens*, statim addit: *Spei nostræ fidem* resurrectione *confirmans*, corruptionem *carnis humanæ gloria corporis sui perimens*. Ergo &c.

58 Ad IV. Prima responsio sit, illud: *Sanctos ejus Inferi non tenent*: ad eâ sanctorum corpora esse referendum, quæ in Christi morte resurrexisse dicuntur Matth. 27. 52. Id mihi primo persuadet Hilarii scopus: est enim hic in eo situs, ut ostendat

illud

illud Zachar. 12. 10: *Adspicient ad me, quem confixerunt*, seu ut legit Hilarius fortasse ex Joan. 19. 37. *& videbunt, quem compunxerunt*, istud, inquam, adimpletum fuisse in Christo cruci affixo, & lancea pertuso. Id vero percipi a Judæis nequivit, nisi ex prodigiis & miraculis spectantium oculis perviis, & sensibus maxime subjectis; atque hinc de hisce prodigiis sermonem ibi habet Pictaviensis Episcopus hunc in modum. *Cujus misericordia eum præveniat, ut etiam ante resurrectionem Dei Filius intelligatur, cum moriente eo, obscurato Sole, lux deperit, cum pendente eo in Cruce, tremit terra, cum descendente eo ad Inferos, sanctos ejus inferi non tenent, cum emittente eo spiritum, velum templi tanquam custodia illinc spiritali erumpente discinditur, cum postremo Centurio proclamat*: Vere Dei Filius erat iste.... *Præveniente eum misericordia sua, ostendit ei inter inimicos ejus, quia susceptor ejus esset, cum id etiam inimici confessione patuisset; vere enim eum Dei Filium esse, Centurio proclamat. Et hæc quidem tunc ita cognita sunt*. Fac modo, ut iis verbis: *Sanctos ejus inferi non tenent*: significetur Dei visio Sanctis Patriarchis tum primum concessa: Qui potuerunt Judæi ex invisibili illo effectu, in quem transfixerunt, videre? Dei filium esse proclamare? At peropportune id viderunt ex eo, quod in morte Christi monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Id enim summam Christi, infinitamque potestatem, ac vim indicabat. De his ergo intelligenda sunt Hilarii verba, quæ idcirco nullo modo adversariis favere possunt. Hinc & in Maurina edit. Operum S. Hilarii ad marginem descripti testimonii: *Sanctos ejus Inferi non tenent*: recensetur locus Matth. 27. v. 52., qui de resurrectione corporum sanctorum totus est: quamvis in nota ad hunc Hilarii locum paullo aliter sentiat editionis Auctor Petrus Coustantius.

59 Me præterea hac in interpretatione valde confirmant, quæ apud Hilarium legimus hac ipsa de re Comment. in Matth. c. 33. num. 7., cujus verba etsi supra (§. 53.) ex parte dederim, juvat hic tamen integra transcribere. *Et deinceps velum templi scinditur: quia exinde populus est divisus in partes, & veli honor cum custodia Angeli protegentis aufertur*. Movetur terra: *capax enim hujus mortui esse non poterat*. Petræ scissæ sunt: *omnia enim tum valida, & fortia penetrans Dei Verbum, & potestas æter-*

æternæ virtutis irruperat. Et monumenta aperta sunt: *erant enim mortuis claustra reserata*. Et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt: *illuminans enim mortis tenebras, & infernorum obscura collustrans, in Sanctorum ad præsens conspicatorum resurrectione mortis ipsius spolia detrahebat. Ut autem infidelitatis facinus Israeli accumularetur, Centurio, & custodes hanc totius naturæ perturbationem contuentes, Deum filium confitentur*. At, qui contueri poterat infidelis Israel, Sanctos Christi non teneri inferis, & ob hoc confiteri, Dei esse Filium, si dicerentur Inferi non tenere Sanctos ejus, quia Sancti Christus suam tunc præsentiam, divinitatemque conspiciendam tradidit? Id sane a vero, & ab Hilarii scopo quam longissime abhorreret: Accipienda igitur ea verba sunt in sensum mox expositum, ita quidem, ut nihil prorsus conferant ad sententiam adversariorum tuendam.

60 Altera esse potest responsio cumprimis probabilis, nimirum Pictaviensem Episcopum iis verbis animum intendisse ad beatam corporum resurrectionem, carnisque immortalitatem suo tempore Sanctis concedendam. Licet enim ponatur, animas Sanctorum Deum vidisse, supererat eis tamen gloriæ plenitudo, seu consummatæ, ut ajunt, beatitudinis solatia. Hinc tenebantur conclusæ in inferis piorum animæ, expectantes humanæ naturæ Reparatorem, quo indigebant ad perfectam, numerisque omnibus absolutam meritorum retributionem. Christo autem ad Inferos descendente, data hæc eis fuit consolatio, vel quatenus multi ex iis, qui dormierant, appendices veluti Dominicæ resurrectionis effecti, Christum in cœlum avolantem comitati sunt; vel quatenus jus omnibus collatum est ad resurrectionem in temporum plenitudine obtinendam: quam pariter interpretationem conformem esse maxime Hilarii sententiis, satis apte colligitur & ex iis, quæ in responsione ad primum argumentum dicta sunt, & ex iis quæ dicturi sumus. Ergo nihil est in adductis Hilarii verbis, in quo adversariorum oratio possit exultare.

61 Ad V. Venia dixerim præclarissimorum virorum, quibuscum mihi res est, nego prorsus ab Hilario pronunciatum fuisse, quod Sancti quiescentes in Inferno *consolationem* desideraverint, quæ *in videndo Deo* sita est. Porro Hilarii verba hæc sunt. *Scit* (Propheta) *exhortationem hanc* (quod psal. 118. 82. apud nos est:

quan-

quando consolaberis me? legit Hilarius: *quando exhortaberis me?* atque hinc *exhortationem* dixit) *Scit*, inquam, *exhortationem hanc Sanctos quiescentes in Inferno desiderare*. Inquirendum est ergo cujusmodi fuerit ex Hilario hocce Sanctorum desiderium. Illud enim ad Dei visionem referendum esse volunt adversarii; ego vero contendo non aliud desiderium ab Hilario hic exprimi, quam quod Messiæ adventum spectaret, & profluentem inde consolationem: desiderium scilicet, quod & in Angelicis spiritibus locum habuit, qui licet felicissimo Dei adspectu donati, desiderabant tamen humani generis Reparatorem, cupiebantque vehementer humanam naturam in Christo, & per Christum in cœlos advectam conspicere. De hoc Sanctorum Angelorum desiderio apposite Chrisostomus homil. in Ascens. Domini num. 4. *Hodie recuperarunt Angeli, quod dudum desideraverant. Hodie aspexerunt Archangeli, quod diu concupierant. Hodie nostram naturam de throno regali fulgoris instar resplendentem gloria & pulchritudine immortali viderunt. Id enim multo ante desiderabant Angeli, & concupiscebant Archangeli.*

62 Hoc ipsum fuisse Sanctorum in inferno quiescentium, desiderium, cujus meminit Hilarius, manifestissime noverit, quisquis orationis contextum mecum perscrutari non dedignabitur. Et primo verba, quæ præcedunt, consulamus. Expendens Pictavorum Episcopus ibid. num. 1. orationem Prophetæ: *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum spero*: per illud *salutare tuum, & verbum tuum*, nonnisi Christum Reparatorem nostrum designatum vult, dicens: *Defecit igitur in desiderio salutaris, & deficit ob id, quia in verbum Dei speret: finis enim legis Christus Jesus est, & hic est, de quo scripserunt Moyses, & Prophetæ. Est autem salutaris ipso illo nomine, quod Jesus nuncupatur. Jesus enim secundum Hebraicam linguam salutaris est... Causa itaque defectionis est* DESIDERIUM SALVATORIS. *Desiderii autem hinc origo est, quod in verbum Dei sperat. Salutaris enim noster Jesus Christus est, qui & desideratus & natus est*. En apertissimis verbis *desiderium salutaris*, Christi nempe. Secundo: hujusmodi Davidis desiderium, cæterorumque Prophetarum contendit Hilarius, indicasse Christum, cum Matth. 13. v. 17. pronunciavit: *Amen dico vobis, multi Prophetæ, & justi quæsierunt videre, quæ vos videtis, & audire, quæ vos*

audi-

auditis; hæc autem ſententia, ut per ſe patet, ad Meſſiæ præſentiam, miracula, vocem, & doctrinam pertinet, de quo Patres omnes conveniunt, maxime vero noſter Hilarius tum in pſal. 68. n. 8., tum Comment. in Matth. cap. 13. n. 3. Tertio: ipſa verba, quæ immediate præcedunt illa, ex quibus petitum eſt adverſariorum argumentum, apertiſſime deſignant, Prophetarum deſiderium, de quo loquitur Hilarius, circa *Domini*, *Meſſiæ* videlicet, viſionem, non autem eſſentiæ divinæ verſatum fuiſſe: ait enim: *Sed hi nunc oculi Prophetæ, licet* DOMINUM VIDERE *deſideraverint*, *non ſunt tamen corporis oculi*; *loquuntur enim*, *& expectant*. Quarto tandem, hoc ipſum perſpicue demonſtrant, quæ ibid., eodemque in numero 3. apud Hilarium habentur. *In hæc igitur Dei eloquia oculis liquentibus deficit: non tam viſu corporeo* DOMINUM *ex eloquiis Dei nuntiatum*, *quam contemplatione animæ*, *& mentis expectans.* Rotundioribus ne verbis potuit Hilarius ſignificare, quo tenderet Prophetarum, & Sanctorum in inferno quieſcentium deſiderium? Qua nam vel minima dictione exprimitur hic loci a Pictavorum Epiſcopo conſolatio illa, quæ *in videndo Deo* ſita eſt?

63 Quamvis autem firma hæc ſint, & manifeſta; quoniam tamen ex his non apparet, quem potiſſimum in finem Sancti in Inferno quieſcentes Chriſtum expectaverint; cumque velint adverſarii, ideo eos expectaſſe Salvatorem, ut participes ab eo fierent divini adſpectus; hinc animadverto primo loco, Hilarii hac de re ſilentium conferre plurimum ad cauſæ meæ patrocinium. Ex eo quippe teſtimonio nullo modo colligitur, Sanctiſſimum Galliæ Epiſcopum piorum animos ante Chriſti profectionem ad Inferos a Dei præſentia removendos putaſſe, eiſdem poſtea videndi Deum feciſſe poteſtatem. Ergo teſtimonio illo abutuntur adverſarii, dum pro ſua ſententia apertiſſimum exiſtimantes, illud nobis tam fidenter objiciunt. Animadverto præterea, niſi ex hoc teſtimonio, ex alio ſaltem, quod affine eidem eſt, ſatis aperte patere, quo tenderet Sanctorum in inferno quieſcentium expectatio, quidque Chriſtus ad eam explendam contulerit. Ad id vero eruendum grave inprimis non ſit recitare Pictavienſis Antiſtitis verba, quæ immediate ſequuntur. *Scit*, *teſtante Apoſtolo Petro* (epiſt. 1. cap. 3. 19. 20.) *deſcendente in Inferna Domino etiam his*, *qui in carcere erant*, *& increduli quondam fuerunt in diebus Noe*, *ex-*

exhortationem prædicatam fuisse. Peto autem humanissime ab adversariis, vel hæc ab Hilario dicta volunt de facinorosis, & impiis, qui justis debitisque suppliciis in inferno detinebantur: vel de iis generatim, qui humanæ naturæ conditioni debitum mortis p'e persolver..nt, sive in justitia semper perstiterint, adeoque Sancti, sive ab ea primum deflectentes, ad bonam inde frugem redierint, adeoque quondam increduli. Si primum: cum *exhortationis* vocabulo indigitatam existiment *consolationem*, *quæ in videndo Deo* sita est, consectarium erit, ita impiis illis per Dei filium ad Inferna descendentem fuisse ex Hilario subventum, ut a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem eos Christus revocaverit. Id autem ab Auctoris nostri sententia quam longissime aberrat, ut præ cæteris animadvertit Cl. Petrus Coustantius (11). Non ergo de illis exhortatio, de qua loquimur, est intelligenda. 64

(11) Dissimulandum non est, ex verbis mox allatis visum nonnullis fuisse, quod ea Hilario nostro insederit opinio, quæ, Christo inferos adeunte, infideles quosque, & pro suis criminibus æternis deditos suppliciis vult ad veniam reparatos. Inter cæteros autem, qui hoc in Hilario notarunt, fuisse Ven. Bedam in 1. Pet. cap. 3. egregie observavit ex Maurinorum familia Cl. Petrus Coustanti us in hunc Hilarii locum, ubi ad eam Bedæ in nostrum Pictavorum Episcopum animadversionem, hæc doctissime commentatur. *An Beda Hilarii interpretationem Catholicæ fidei minus consentaneam existimarit, non expendimus. At hoc certe constat, nihil eum contra fidem dixisse, qui sola Petri verba memorasse satis habens, nihil amplius affirmarit, quam quod iis contineretur. Neque enim incredulos ex inferis eductos asseruit.* Hæc tamen pauca nimis esse videntur ad Hilarium ab hac nota vindicandum, quam & Novatores eidem inurere ausi sunt. Provocare hos igitur præterea lubet ad disertissima illa Sancti Episcopi loca, quibus damnatorum pœnas generalibus, absolutisque verbis æternas fore pronunciavit, vel quatenus æternus eos manet ignis, vel quatenus omnium prorsus eis adimit spem veniæ. E pluribus Hilarii sententiis unam vel alteram eligimus. Ac 1.° Comment. in Matth. cap 5. n. 12. *Requies nulla gentibus*, ait, *neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur; sed corporalis & ipsis* ÆTERNITAS *destinabitur, ut ignis* ÆTERNI *in ipsis sit* ÆTERNA MATERIA, *& in universis* SEMPITERNIS *exerceatur ultio* SEMPITERNA. *Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur* ÆTERNITAS *Corporalis, ut mox igni judicii destinentur, quam profanum est Sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis* ÆTERNITATIS *opus præstetur ad pœnam*. Perspicuum æque illud est tract. in psal. 142. num. 9. *Qui pœnæ Inferni deputati e vita hac* SINE SPE QUIETIS *excesserint*. Et alibi passim, quorum loca nonnulla dessignat Cl. Patuzzi in absolutissimo opere *de futuro impiorum statu* l. 3. c. 16. num. XIX. pag. 318. Illud vero hac in re præcipuum est mihi, quod ex tract. in psal. 2. n. 48. desumo. Ibi enim disertissime tradit Hilarius, quemadmodum Beatitudinis RETRIBUTIO ÆTERNA pauperi Evangelico reddita est, ita ÆTERNAM pœnæ retributionem nequam illi diviti confestim fuisse datam. Testimonium supra recitavi (§. 9.). Qui antem

64 Alterum ergo verba illa indicabunt. Atqui S. Episcopus suimet interpretem agens, alibi luculentissime declarat, quid

exbor-

tem æternam vocasset pœnæ retributionem, eamque comparasset cum æterna piorum beatitudine, si pœnis illis addicti fuissent a Christo Inferos petente liberati?

Neque hisce obstant, quæ tract. in psal. 68. num. 28. ad versiculum 35: *laudent eum cæli, & terra, mare, & omnia repentia in eo*: apud Hilarium hunc in modum leguntur. *Sed sub horum elementorum commemoratione creaturarum omnium* LIBERANDARUM *sensum, mutemque significans: ut dum cælum, & terra, & mare dicitur, cognoscantur Domino Jesu Christo cælestia, & terrestria, &* INFERNA *genuflectere. In his enim, quæ in mari repunt ... ea, quæ* IN INFERIS *degunt, docentur, cum profundum maris sedem intelligamus* INFERNI. Hæc, inquam, ne minimum quidem hactenus dictis repugnant. Qui enim hæc nobis opponunt, efficiant necesse est, *inferorum* nomine eam sedem designari, quæ puniendis improbis destinata est. Hujusce autem interpretationis nullum est apud Hilarii testimonium indicium; immo si Galliarum Episcopum suimet interpretem audiamus, facile constabit, eundem non aliam notionem subjecisse vocabulo *inferorum* absolute usurpato, nisi quæ mortis sedem, aut portas significat, hoc est mortuorum utcunque locum. En verba ibid. n. 5. *In vestigiis usque maris, tanquam in profundo, vel altitudine maris,* PORTAS MORTIS *esse significans. Nam cum profunda maris inferiora sint terræ; necesse est in profundo maris, idest inferioribus,* SEDEM MORTIS *ostendi*. Idem pronum est inferre ex iis locis, quibus *infernas sedes adire* homini debitum pronunciat tract. in psal. 53. num. 14., quibus David *inferos*, antequam salvetur, sustinendos docet tract. in psal. 118. lit. 05. n. 8., quibus demum declarat, humanam istam legem necessitatis esse, ut consepultis corporibus *ad inferos* animæ descendant tract. in psal. 138. num. 22. Numquid quis inde inferet, ad suppliciorum loca, reproborumque regionem omnes homines esse deducendos? Ita cum liberandas ait Hilarius creaturas in inferis degentes, non ita accipienda sunt verba, perinde ac si de damnatorum salute signum aliquod ad bene sperandum extolleret, ut nuperi Origenistæ, ac Deistæ commenti putidissime sunt.

Quinimo tam longe abest, ut agnoverit Hilarius, finem aliquando esse posse damnatorum flammis, ut vel ipsam suppliciorum diminutionem, omni spe quietis penitus sublata, ut liquet ex supracit. testimonio, procul ab inferis ablegaverit. Inscius non sum, hac etiam de re aliter nonnullis, maxime heterodoxis, visum fuisse, ex eo quod de Sodomitis, & Gomorrhæis ita ille tract. in psal. 68. num. 22. *Percussit Dominus Sodomam, & Gomorrham ultimis sceleribus pollutas, & abbominatas; & invenio his* AD MISERICORDIÆ RECONCILIATIONEM *id, quod percussæ sunt, profecisse; cum* TOLERABILIUS *his in die judicii sit futurum, quam his civitatibus, in quibus de Apostolorum pedibus pulvis excussus sit*. Hisce tamen, animadvertente Estio in 4. dist. 46. §. 2., cui prælaudatus Patuzzi subscripsit loc. cit., non aliud videtur existimasse Hilarius, quam quod in ipsa percussione, idest incendio Sodomitico multi dolorem repente de peccatis suis conceperunt, sicut & in generali diluvio. Quæ sententia suam in scripturis habet probabilitatem; vel, quod gravius, addit Cl. Patuzzi, præ Sodoma, & Gomorrha puniendæ sint civitates illæ, de quibus loquitur Christus in Evangelio. Sensum utrumque accommode reddunt & verba ipsa, si rite expendantur, & orationis contextus. En quæ e vestigio subdit Sanctissimus Episcopus. *Percussam quoque Synagogam Dathan, & Abiron plaga*

dignis-

exhortationis vocabulo eo loci designaverit, ita quidem ut *consolationem*, quam *in videndo Deo* sitam volunt adversarii, altissimo obvolvat silentio, aliam vero proponat apertissimam ejus vocis significationem. Ergo cum eandem exhortationem Sanctos in inferno desiderare pronunciat, accipiendus nullo modo est Hilarius de Dei præsentia facie ad faciem. Lege tract. in psal. 141. num. 7. ad illud: *educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine*: quod in persona Christi vult a Propheta enunciatum: hæc ibi invenies. *Deinde rogat, ut anima sua educatur de carcere. Si in carcere positis etiam ante Noè tempora*, RESURRECTIONEM *secundum B. Petrum Dominus prædicavit; carcer est inferi, a quo se educi rogat, & in altero psalmo erat precatus* (psal. 68. 16.): non contineatur super me puteus os suum: *Oratio omnis ita ad confessionem, ut diximus, virtutis paternæ est. Sed adjiecit & causam, cur se se de carcere oret educi*: ad confitendum, *inquit*, nomini tuo. RESURRECTIO *ejus paternæ in se virtutis prædicatio est, quia potestas ei omnis ex Patre est*. Audisti Hilarium *resurrectionis* vocabulo exprimentem, quod *exhortationem* alibi dixerat? Non solum ergo nullius consolationis, quæ *in videndo Deo* sita sit, meminit hic loci Galliæ Episcopus, ut adversarii opinantur; sed illud præterea disertissime tradit, Christum ad Inferna descendentem Sanctis in eo carcere detentis, sive qui omnis justitiæ virtutumque genere floruerant, sive qui conceptas olim labes expiaverant pœnitentiæ operibus, *resurrectionem* prædicasse, hoc est futurum prædixisse, ut cum corpore resurgentes, beatitudinis plenitudinem, seu meritorum consummationem, ut vocant, quam illi magnopere exoptabant, aliquando demum assequerentur. Hinc idem met Hilarius ibid. num. 8. ad seq: versiculum: *me expectant justi, donec retribuas mihi*: hunc scribit in modum. *Quæ autem sit justo-*

 rum

dignissimo cognitum est: sed in animis eorum ea, quibus maxime peccaverant, sanctificata sunt opera. Et ne per singula, quæ sunt multa, discurram, cum & Apostolus in interitum carnis ad salutem spiritus tradat: Dominus ipse quid percutiens proficiat, ostendit dicens (*Deut.* 32. 39.): Videte, quia ego sum, & non est Deus præter me. Ego interimam, & ego vivificabo; percutiam, & ego sanabo: *ut percutiendi causam proficisci ex causa sanationis ostenderet*. Ex his ergo liquet, neque ex Hilario effici posse, impiorum animas fuisse ab Inferis per Christum illuc descendentem ereptas, neque nuperos Origenistas, Socinianos, Deistas &c. gloriari posse de Hilarii consensu in eo, quod ipsi autumant, damnatorum supplicia finem aliquando, exitumque esse habitura.

rum expectatio idem Apostolus (Philipp. 3. 20.) *docet*, *dicens* Nostra autem conversatio in coelis est, unde & Salvatorem nostrum expectamus Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ conformatum corpori gloriæ suæ: *Expectant ergo eum justi*, *donec retribuatur illi*: *scilicet* UT CONFORMES FIANT GLORIÆ CORPORIS EJUS. En aperte justorum expectationem, quæ tota versatur circa corporum resurrectionem. Cui affine quam maxime est illud in psal. 68. num. 8: *Hæc Sanctorum expectatio fuit*, *ut omnis caro redimeretur in Christo*, *ut in eo æternæ resurrectionis primitiæ existerent*. En quo spectabat Sanctorum in Inferno quiescentium desiderium. Quid porro causæ fuit, cur hic Hilarius peropportunam, aptissimamque negligeret occasionem exprimendæ Sanctorum Patriarcharum expectationis quoad visionem, quam beatificam dicunt; meminisset vero resurrectionis tantum, adeoque absolutæ perfectæque in coelis beatitudinis? Vel ergo dicendum nullam pro animabus a corpore sejunctis etiam post Christi mortem agnovisse Hilarium beatificam visionem, quod absonum est plurimis ejusdem sententiis; vel asserendum, Sanctissimum hunc Episcopum supposuisse hic loci, animas Sanctorum potitas jam fuisse coelesti hæreditate: desiderare tamen corporis conjunctionem, ut inchoatæ beatitudini cumulus accederet absolutissimus. Allato igitur testimonio nulla vis est, ac pondus, ut exinde inferri possit, Pictavorum Episcopum removendos putasse Sanctos Vet. Testam. a Dei præsentia, donec mortem Christus pro universo hominum genere subiret.

65 Ad VI. Quoniam tota, ut liquet, argumenti vis in vocabulo *Inferi* sita est, totus idcirco ero in ejus vocis notione bono in lumine collocanda, ut Hilarii sententia manifesta exinde fiat, & explorata. Volunt adversarii per *Inferos* indigitari hic sedem quietam, in qua Sancti Patriarchæ, aliique Vet. Testam. justi expectabant, donec Christus Paradisi claustra reseraret, eosque ad suæ divinitatis adspectum admitteret. Ego autem existimo, designari ab eodem Pictaviensi Episcopo sedem illam, in qua mortui deliciarum ac beatitudinis participes Deum facie ad faciem cernentes expectabant corporum resurrectionem, seu jus ad ipsam, ut inde resumptis corporibus gloriæ plenitudinem, absolutamque numeris omnibus consequerentur beatitudinem. Quæ autem me impellant ad hanc ei voci notionem subiiciendam duo maxime

sunt.

sunt. Primo, ea omnia, quæ ex Hilario de Davide dicta superius descripsi (§. 29. 30. 31.). Secundo, quæ ex adversariorum interpretatione locum apertissime haberent absurda. De his autem ut nonnihil dicam, integrum orationis textum referendum esse inprimis sentio. Ita vero se ille habet. *Sed quemadmodum in superiore susceptus vivet* (spectant hæc versiculos. 116. & 117. psal. 118. nimirum: *Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam: Adjuva me; & salvus ero*:) *ita & in hoc adjutus salvabitur. Adhuc enim sibi obeunda mors est, adhuc inferi sustinendi. Tunc salvabitur, cum ex corporea, terrenaque natura in spiritalem gloriam transformatus, nullum adversantis inimici periculum metuat, vivat inter electos Angelos, sit Paradisi incola, & absorpta corruptione ex mortali immortalis existat*. Hisce verbis consummatæ beatitudinis delicias significari, quæ post corporum restitutionem Sanctis promissæ sunt, demonstratione non puto indigere. Quid enim est, *ex corporea terrenaque natura in spiritalem gloriam transformari*? Quid, *absorpta corruptione ex mortali immortalem existere*? Non aliud profecto, ut obvia per se res est, quam ex mortuis resurgere, cum scilicet eodem ajente Episcopo ex Paulo in psal. 1. num. 13. *incorruptio corruptionem, & æternitas infirmitatem, & forma Dei formam terrenæ carnis absorpserit &c.*

66 Fac ergo, ut per *Inferos* veniat apud Hilarium locus quietis, exclusa tamen consolatione illa, quæ ex visione beatifica profluit. Quoniam ea serie res ab Hilario describitur, ut primum mortem Davidi obeundam dicat, dehinc inferos sustinendos, tandem obtinendam salutem; sequetur, Davidem ex Hilario deducendum fuisse de vita ad mortem, de morte ad Inferos, de Inferis ad locum salutis, ubi scilicet *ex corporea, terrenaque natura in spiritalem gloriam transformatus, & absorpta corruptione ex mortali immortalis existat*. Si ergo voluit Hilarius Davidi sustinendos fuisse Inferos exclusa Dei visione, necesse omnino erit, ut asseramus, Hilarium nullam agnovisse sedem, in qua Davidis anima ante corporis restitutionem in Dei conspectum venire potuerit. Ex iis ergo fuit Hilarius, qui cœlestem hæreditatem nonnisi post corporum resurrectionem adiri posse existimarunt. Ne igitur de Hilarii sententia tam prave sentiamus; fatendum est in iis inferis a Davide subeundis, antequam

 salva-

salvaretur, seu antequam resurgeret (§. super.), sua Deum beatifica præsentia adfuisse, ex eaque maximam in Davidem dimanasse voluptatem, ac lætitiam.

67 Illud me præterea movit plurimum, idque sedulo animadvertatur volo, quod Hilarius non Davidi tantum, aut justis solum Vet. Testam. sustinendos esse Inferos pronunciat, sed omnibus indiscriminatim Novi etiam Testamenti. Lege tract. in psal. 53. num. 14. *Ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti se, idest discessioni se tanquam animæ, corporique subjecit, & ad infernas sedes, id quod homini debitum videtur esse, penetravit*: & in psal. 138. num. 22. *Humanæ ista lex est necessitatis, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant: quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit*. Ex Hilario igitur nobis perinde ac Davidi, & cæteris antiquis justis adeundi sunt Inferi. Quodsi Dei conspectu dicendus est David privari debuisse, quia Inferi erant illi sustinendi, nos quoque, qui illuc post mortem *ex humanæ legis necessitate*, ex eo quod *homini debitum videtur esse &c.* descendere debemus, eadem Dei præsentia, ac jucundissima Dei visione privandi erimus, usque dum salvemur, idest usque dum resurgamus. Id autem ab Hilarii sententia prorsus abludere, consentiunt Catholici omnes Theologi: necesse est igitur, ut dicamus, *inferos sustinere* penes Hilarium significare non posse beatitudinis privationem, seu dilationem divini conspectus.

68 Quinimmo Pictaviensi Episcopo alios quoque Patres & numero, & dignitate plurimi faciendos juvat addere, qui animas Sanctorum transferri nunc volunt in receptacula quædam, & in sinus terræ descendere. Quid ad hæc Theologi? qua utuntur ratione ad hæc concilianda cum hodiernis Ecclesiæ decretis? *Patres illi*, inquit Laurentius Bertius Theologus vere maximus, atque doctissimus l. 3. de Theolog. disciplinis c. 9. *Patres illi, qui Sanctorum animas ad inferos dicunt descendere, qui recipi in Paradisum terrestrem, qui in loco invisibili quiescere putant, non eas in aliquem pœnarum locum abiiciunt, neque sponte negant apud Deum, qui ubique est, vivere, & æterna gaudia degustare: Quapropter de statu dissentire non videntur, tametsi minime conveniant de loco. Hæc conciliaturæ ratio non fugit sapientes viros, ut dicemus infra disputantes de mente Augustini. Hanc*

nedum

nedum amplectitur, sed etiam erudite propugnat Joannes Vossius disput. 6. de statu animarum quæst. 2. Hæc ille more suo sapientissime, & ex communi Theologorum suffragio; idemque adnotaverat an. 1738. præclarissimus Muratorius in opere sæpe laudato *De Paradiso* cap. 12. Ex quo sic argumentor: Davidi sustinendos vult Hilarius inferos, antequam resurgat, quemadmodum plures Veteres Patres volunt Novi Testam. justos ad inferna migrare, antequam absolutissimum gloriæ, ac beatitudinis cumulum per corporum resurrectionem obtineant. Atqui etsi hæc Patres aperte pronuncient, omnes tamen ex unanimi Theolorum consensu illarum animarum beatitatem inchoatam fatentur, imo prægrandem: Non ergo repugnat quod beatæ illæ sint animæ, & nihilominus inferos sustineant. Ergo ex æquo non repugnabit Davidis felicitati, Deique conspectui felicissimo, quod ab Hilario asseritur, sustinere nimirum eum inferos debuisse, antequam salvaretur, seu quod idem est (§. 65.) antequam resurgeret.

69 Non me equidem latet, quod a Theologis proferri solet, ut iis occurrant loquendi formulis, quibus (§. 67.) & optimis quibusque N.T. hominibus inferos perferendos esse asseverat Hilarius. Ajunt siquidem, *Hilarium existimasse*, ita Cl. Bertius loc. cit. in resp. ad 10. *quod, quisquis moritur, exemplo Christi debet ad inferos descendere, & ea loca lustrare, quæ Christus consummationem veri hominis non recusans dignatus est visitare. Quod & docuit l. de anima Tertullianus. At illic animas detineri, Hilarius non credidit, sed aperte affirmavit in psal.* 141. *transire in cælestem Hierusalem, in terram viventium, in Paradisi incolatum, in regnum hæreditatis &c.* Ex quo discrimine inter *inferos lustrare*, quod Sanctis Novi Testam. convenire putant Theologi, & *inferos sustinere*, quod Veteribus justis ante Christi mortem debitum fuit, inferri posse quis arbitratur, ea quæ de Novi Test. piis animabus prædicantur, non omnia aptari æque posse antiquis illis justis, ac optimis viris.

70 Libere tamen dicam, licet moderate, Hilarii sententias non eum præ se ferre sensum, quem præclarissimi vulgo Theologi adhibere solent. Revocentur illæ porro ad examen. Tantum primo aberit, ut inde intelligamus, exemplo Christi debere, quisque moritur, ad inferos descendere, & ea loca lustrare; quinimmo aperte ex iis innotescet, Christum quoque

 fuisse

fuisse in Inferos profectum *ad explendam hominis naturam*, ad exequendum, quod *homini debitum videtur esse*, ad servandam *humanæ necessitatis legem*, *ad consummationem* denique *veri hominis*; easque ipsas ob caussas, ac rationes debere nos in inferos proficisci, nulla prorsus facta ab Hilario mentione exempli Christi. Quid autem sibi volunt locutiones hujusmodi *ad explendam hominis naturam &c.* nisi generalem quamdam rationem, eandemque tam pro justis Vet. Test., quam pro iis, qui modo e corporibus evadunt? Eo vel magis, quód non homini id debitum *fuisse* ait, aut legem *fuisse* humanæ necessitatis; sed debitum *esse*, & legem *esse*. Ex Hilario igitur eadem lex, idemque debitum & Veteres Sanctos adegit ad sustinendos inferos, & nostros impellit. Quæ autem esse potest humanæ necessitatis lex, quod homini debitum ut inferos modo adeat, eaque collustret loca? Humanæ quidem necessitatis legem aliquam agnosco in separatione animæ a corpopore: Ex lege enim peccati, quo humana natura infecta est, morti & corruptioni subjectus est homo, secundum illud Gen. 2. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: seu, ut vertit Symmachus, *mortalis eris*, vel ex Hieron. in tradition. Hebr. *necessitati mortis obnoxius eris*: Et secundum illud quoque Gen. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Debitum præterea homini esse video, ut dissoluta corporis materie, animæ separatæ ab eo detineantur, donec Dei Opt. Max. munere, ac beneficio plane singulari immortalitas carni conferatur; quod & indigitasse Hilarius videtur in psal. 51. num. 18. In hisce quidem legem aliquam agnosco necessitatis, humanæque debitum naturæ; non tamen in profectione simpliciter ad Inferos ad hæc lustranda loca. Hoc ipsum denique significavit Hilarius, cum tract. in psal. 138. num. 22. rotundis pronunciat verbis, *ad Inferos* MORTIS LEGE *descendi*: Lex autem *mortis* & generalis est, & pro omnibus lata: Ergo justis omnibus sunt inferi æque adeundi. Quemadmodum igitur Antiqui Patriarchæ in inferis detinebantur, ita & piorum animæ in Novo Testamento. Atqui, licet hæ nunc diversentur iis in locis, non tamen absunt a Dei visione (§. 68.): Cur ergo & de Veteribus justis equo jure non erit id ipsum asserendum? Persuasum ergo mihi est, ratumque per *inferos* eum locum ab Hilario designari, in quem Sanctorum animæ in utroque Testamento migrarunt, & migrant, expectantes

tes extrema judicii universalis tempora ad solidam, plenamque beatitudinem consequendam, gaudentes interim ob jucundissimam divinæ essentiæ præsentiam, qua statim a morte lætatæ sunt.

71 Neque firmum satis mihi videtur alterum, ex quo confici vulgo solet, non credidisse Hilarium piorum animos Nov. Test: in Inferis detineri, sed ea tantum loca Christi exemplo collustrare. Ipsis enim non refragantibus adversariis (§. 68.), fuerunt Patres, qui Sanctos dixerunt ad inferos descendere, aut recipi in Paradisum terrestrem, aut in loco invisibili requiescere, quin tamen negarent apud Deum vivere, & æterna gaudia percipere. Unde autem id novimus, Patres illos ab iis animarum receptaculis, ab inferioribus iis terræ locis Dei beatificam præsentiam non amovisse? Unde scimus nomen *Inferni* ambiguum apud illos fuisse, aliquando scilicet acceptum pro ut solis convenit damnatis, & aliquando pro recondito loco, in quem mortuorum animæ inferuntur, vel a quo extrahentur, sive pœnarum sit, sive quietis? Non aliunde sane id accepimus, quam ex iis eorundem Patrum testimoniis, quibus æternam felicitatem, gaudia, delicias, ac beatam requiem, adscribunt iis, qui omni prorsus expertes labe e corporibus demigrarunt. Ex hoc autem duo infero: 1. etiam apud Hilarium stare posse amplissimas illas locutiones de statu animarum post mortem, licet in inferis detineantur: 2. cum æque præclarissima habeat Hilarius de Davidis felicitate, gaudiis, ac sempiterna voluptate statim a morte, consequens est, ut quamvis Davidi sustinendos velit inferos, non tamen ab eo Dei adspectum, ac possessionem amoveat, atque a cœteris quoque Vet. Test. piis animabus.

72 Cæterum si vis, ac potestas illarum locutionum, *transire in cælestem Hierusalem*, *in terram viventium &c.* (§. 69.) rite expendatur, nullo negotio constabit, eas de plena omnimodaque hominis beatitudine, una scilicet cum corpore, fuisse ut plurimum ab Hilario usurpata. Et primo quidem *de Paradisi incolatu* satis superque dixi in resp. ad 2. (§. 56.). *De terra viventium* habes apertissimum illud Hilarii testimonium in psal. 118. lit. 3. num. 3: ***Ac nisi glorificato in naturam spiritus corpore, vitæ veræ in nobis non potest esse natura***: ad quæ inde accommodat Prophetæ verba psal. 114. 9: *Et placebo Domino in regione viventium*. At priora illa verba corporum resurrectionem apertissime significant: ergo ***per viventium regionem*** eam indicat Hilarius sedem, in qua

post

post corporum resurrectionem Sancti commorantur. Eundem quoque Beatorum locum post extremi judicii diem, seu post resurrectionem designari vocibus *Cœlestis Hierusalem*, subodoratus est acutissimus Monachus Petrus Coustantius in præfat. gen. §. VI. num. 197. Ex his ergo loquendi formulis non efficitur, voluisse Hilarium, Sanctos N. T. statim migrare in Paradisum, sive in cœlestem regionem; quamvis aliunde constat, eos beatos statim efficere: sed stat utique, quemadmodum de cæteris Patribus vulgo dicitur, animas etiam sanctorum N. T. statuisse in inferis detineri, sicuti David adire inferos debebat.

73 Hisce præmissis hunc esse contendo sensum orationis Hilarii. Precetur quidem David, ut qui susceptor est Deus, suscipiat, & qui adjutor, adjuvet. Non abesse a se adjutorium adjuvantis, precetur. Nam quemadmodum in superiore susceptus vivet, ita in hoc adjutus salvabitur. Sciat tamen non statim salvari debere, hoc est non statim ex corporea terrenaque natura in spiritalem gloriam transformari, & absorpta corruptione ex mortale immortalem fieri, non statim perfectæ beatitudinis adire posse hæreditatem, quæ animæ, corporique redditur, non statim in terram viventium, in Paradisi incolatum deducendum esse; sed expectandum in inferis ei esse, donec resurrectionis dies adveniat: expectandum, inquam, in inferis, non ut sejunctus interim vivat a Dei conspectu; sed ut a corpore separatus absoluto gloriæ cumulo, deliciarumque plenitudini reservetur, quæ ei ad vitam restituto debet contingere (12). En fideliter totam Hilarii sententiam ac orationem bono in lumine collocatam, quin pondus, ac naturalem ullo modo significationem imminuerim, nedum abstulerim.

74

(12) Quid, si *Inferorum* nomine *sepulchrum* ab Hilario hic loci designatum contenderem, ita ut sensus sit, antequam David salvetur, obeundam illi fuisse mortem, adhuc sustinendum sepulchrum, & carnis interitum, seu dissolutionem perferendam: Post hæc autem *salvabitur, cum ex corporea, terrenaque natura in spiritalem gloriam transformatus, nullum adversantis periculum metuet &c.* (§. 65.)? Obvia sane, plana, ac expedita maxime hæc esset interpretatio, cui nihil prorsus inveniri potest, quod repugnet. Non orationis contextus: quinimmo hic in ea, quæ sequuntur, verba, ut mox vidimus, commodissime quadrat: Non ipsa *Inferorum* notio. Conveniunt quippe omnes vocabulum *Inferi*, Hebraice *Scheol*. pro *sepulchro*, seu loco humatorum corporum sæpe accipiendum esse in sacris libris antiquæ legis. Sed quæ hactenus sum locutus, satis superque esse arbitror ad argumentum adversariorum infringendum; sufficiat ergo, alteram hanc indigitasse responsionem.

74. Hæc dicebam de Hilarii ſententia. Conferantur ſecum invicem teſtimonia, quæ in prima diſſertationis parte collegi, ut Galliarum Epiſcopi doctrinam exornarem, cum iis, quæ in contrarium ab adverſariis proferri ſolent. Perſpicua illa ſunt, & maximam ad minus probabilitatem efficiunt: ambigua hæc, & quæ ad rem vel parum, vel nihil faciunt. Illa diverſo interpretationis genere donare, idem eſt ac Millenarii notam in Hilarium impingere, dubiamque reddere aliorum quoque Patrum de apertiſſimo Eccleſiæ dogmate auctoritatem: hæc vero in eum, quem pro viribus afferre conatus ſum, intelligere ſenſum, & conſonum maxime eſt reliquis Hilarii teſtimoniis, & nulli eſt Catholico dogmati, ſi ita loqui fas eſt, detrimento, nullamque præbet hæreticis anſam acuendi ſtilum in Eccleſiæ definitiones. Hiſce poſitis, quæ ex dictis manifeſta ſunt, aliorum ſit arbitrio, judicium ferre de meorum laborum exitu, ac fructu, quem mihi ſum ab initio pollicitus. Hæc autem omnia dicta ſint, ut ſuus veritati ſtet locus, non tamen ut vulgatiſſimæ ſcholarum opinioni aliquid detraham, cui adhærendum eſſe ſentio, donec aliorum ſtudiis ac laboribus novæ in publicum non prodeant Sanctorum Patrum auctoritates & ſuffragia.

CO.

COROLLARIUM.

Duas res uno eodemque labore assecutum me esse nemo diffitebitur: primo scilicet Hilarii Pictaviensis Episcopi sententiam in apertum posui, itàque, ni fallor, exornavi, ut penes æquum rerum æstimatorem nullum superesse posse dubium confidam: alterum, de quo mihi gaudeo magnopere, est, Augustinum Hipponensem Antistitem Sanctissimum, Doctorem Sapientissimum, ac universæ Ecclesiæ Magistrum ab ea me vindicasse macula, quam, hypothetice licet, tanti Doctoris nomini insidere nonnulli patiuntur, quod nempe ab institutione Majorum discedere aut potuerit, aut voluerit. Novi enim scriptum apertissime fuisse: *Si Augustinus fortasse optimum quemque statim ab obitu in Dei conspectum venisse credidit, antequam unigena, atque amantissimus Filius proficisceretur ad Inferos, planum ipsis testibus faciam eundem descivisse hac in parte ab institutione Majorum*. Mihi vero aliunde persuasum est, ratumque, id reipsa credidisse Augustinum, & majorum nihilominus institutioni fidelissime adhæsisse. Adhæsit enim Hilario, qui ut hac in dissertatione probatum est, id antea tradiderat: Adhæsit Joanni Chrisostomo, quem id ipsum sensisse, subodoratus est Cl. Petavius: *De Deo, Deique propriet.* lib.7. cap.14. num.10., & suo ego loco opportune demonstrabo: Adhæsit & aliis Patribus, qui in publicum quamprimum prodibunt. Quis vero asserat, tantos sectari Magistros, ac insignes Ecclesiæ Doctores, esse *ab institutione Majorum deficere*?

Illud me maxime movet, quod Augustinus, hanc insinuavit sententiam, seu ut phrasi utar adversariorum, si id fortasse credidit (hypothetice enim loquuntur), insinuavit, & fortasse credidit, ubi totus est in commendanda Patrum traditione, Ecclesiæ consensu, auctoritate Doctorum. Qui autem fieri potest, ut Augustinus ad traditionem appellet, Ecclesiæ adhibeat consensum, Patrum demum auctoritati nitatur, eo ipso tempore, quo alia de re traditionem post se relinquit, labefactat, rejicit? Rem juvat explicare. Præcipuum, quo utor, argumentum est ex Epist. S. Augustini 164. aliàs 99. ad Evodium, in qua, ubi asseruisset num. 6. *Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quod eum inde solverit* (Christus scilicet ad inferna descendens), *Ecclesia*

clesia fere tota consentit, *quod eam non inaniter credidisse*, *credendum est*, *undecumque hoc traditum sit*, *etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas* (13): pergit inde demonstrare justos in sinu Abrahæ diversantes ab inferorum doloribus liberari non potuisse, quia nec in Inferis erant, nec doloribus obnoxii, nec ab eis *secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis* Christus unquam recesserat. *Unde*, ita rem agit Augu-

(13) Apertissime hic loci traditum fuisse ab Augustino, non quod de Adamo, idipsum de Abele, de Noe, de Mose, cæterisque sanctis hominibus existimandum esse; sed statuendum, auctorem illum nostri generis Adamum tam multis sæculis, & apud Inferos diversatum, & ab eorum doloribus fuisse detentum, ex luculentissimis Augustini verbis compellor asserere. Discrimen hoc *perfugium* vocant adversarii, eoque uti, *ipsi*, inquiunt, *vetamur Augustini sapientiâ*. Atqui non *perfugium*, sed vera est ac germana Augustini sententia apertissimis hoc loco expressa verbis, crebrisque alibi usurpata sermonibus. Disertissime hic enim meminit dolorum, a quibus, Christo ad inferos descendente, solutus est Adam, Ecclesia fere tota consentiente: cæteros vero justos & in inferis habitasse negat, & doloribus actos fuisse, ita ut ab illis inferorum doloribus solvi eos nequivisse palam testetur. Justos præterea recenset, quos in sinu Abrahæ, quem ab inferis plane diversum demonstrat, constitutos vult, in iisque numerandis seriem ab Abele exorditur, omisso penitus Adam. Quid ergo apertius illo discrimine inter Adam & cæteros Patriarchas? Accedunt alia plura clarissima testimonia ex Opere imperfecto S. D. in Julianum, in quibus Adam ab inferis liberatum liquido confitetur a Christo illuc proficiscente. Ita lib. 6. num. 22. *Recte creditur Domini adventu, atque ad Inferna descensu ab inferni vinculis jam solutus* (Adam), *ut primum Dei plasma . . . ultra in illis vinculis non maneret*. Ita num. 22. *Qui pro salute hominum factus est homo* (Christus), *ab illis vinculis tunc solutum* (Adamum) *non merito suo, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non inaniter credit Ecclesia*. Ita num. 30. *Unde factum, quod rectissime creditur, ut eum* (Adamum) *filius ejus, idest secundum hominem Dominus Jesus, quando ad Inferna descendit, ab inferni vinculis solveret; tunc enim juxta librum Sapientiæ* (c. 10. 2.) *intelligendus est eduxisse a delicto suo*. Nonne disertissima hæc sunt? At disertissima quoque illa sunt, quibus negat Patriarchas, atque Prophetas, *quibus in scriptura Dei justitiæ pietatisque tam insigne testimonium perhibetur*, & in inferis fuisse, & a doloribus inferorum ereptos, ut apparet ex num. 7. 8. Epist. cit. De Augustini igitur sententia humani generis Parens Adamus in Purgatorii custodiam abditus fuit, atque inclusus, donec Christus ad Inferna descenderit, tantisque eum malis vindicaverit.

Ab Augustini sapientia id maxime abhorrere, clamant. Quis porro id efficiet? Quod in hisce assignari potest absurdum? Nonne peccans Adam omnia mala commeruit, quæ subsecuta sunt; nimirum moriendi necessitatem, innocentiæ status, & originalis justitiæ amissionem, & cuncta denique alia corporis, atque animi incommoda, quæ ex vitiata origine in omnes postea propagines ejus transfusa sunt? Quis ergo inverosimile credet pro tanto scelere tam multis sæculis in Purgatorii custodia detentum fuisse Adamum, atque vexatum? Hæccine Augustini sapientiæ repugnant? Hæc tanto indigna prædicabis Doctore? Hæc perfugium vocabis?

gustinus ibid. num. 8. *Unde illis justis, qui in sinu Abrahæ erant cum ille in inferna descenderet, nondum* QUID CONTULISSET INVENI, *a quibus eum* SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS *numquam video recessisse. Profecto igitur in Paradiso, atque sinu Abrahæ, etiam ante jam erat* BEATIFICANTE SAPIENTIA, *& apud Inferos judicante potentia.*

Egregium, acerrimumque traditionis adsertorem se se hic loci exhibere Augustinum, obvium primo loco fit ex verbis illis num. 6. de salute Adami: *Ecclesia fere tota consentit, undecumque hoc traditum sit*: secundo ex num. 5. ubi de Evodii sententia existimantis Christum ad inferos descendendo omnes a tenebris, & pœnis per gratiam liberasse, exinanitis inferis, istud sibi in contrarium occurrere dixerat: *Primum, qua auctoritate firmetur ista sententia*. Fiat ergo hypothesis cum adversariis, tradidisse fortasse Augustinum verbis, quæ sequuntur, optimum quemque etiam ante Christi mortem in Dei conspectum venisse. desciviſſe ne eum hac in parte dicemus *ab institutione majorum*? Ita ne demisse, ne impie dicam, de Augustino judicabimus, ut vel leviter suspicemur, eundem rejicere Evodii opinionem auctoritate Patrum, alteram de Adami salute proponere ex Ecclesiæ consensu, & traditione, horum autem quasi oblitum paucis lineis infra voluisse tam aperte sententiam illam statuere, quæ non nova tantum esset, ac insolita, sed Patrum institutioni omnino contraria? peccare in traditionem eo ipso loco, & tempore, quo Evodium traditione confutat? Ecclesiæ consensu quæstionem dirimere de Adami salute, & immediate post aliam stabilire de Patriarchis & Prophetis, quæ Ecclesiæ consensum labefactet, evertat, penitusque rejiciat? Tenendum ergo firmissime est, Augustinum in his, quæ sequuntur, a Majorum institutione ne minimum quidem deficere.

Quod vero in his, quæ sequuntur, tradat S. Doctor, antiquos illos Patriarchas, & Prophetas divinitatis præsentiam beatificantem obtinuisse etiam ante Christi mortem, hujus loci non est demonstrare. Pluribus id quamprimum fiet, ex quo manifeste constabit, & eandem revera cum Hilario adhibuisse Augustinum sententiam, & a Majorum traditione nullatenus recessisse.

LAUS DEO.

MC

